SYNODI FERRARIENSIS

CONSTITVTIONES, ET DECRETA

Sub Eminentissimo, & Reuerendissimo Domino

D. LAVRENTIO TIT. SS. IOANNIS, ET PAVLI

S. R. E. PRESBYT. CARD. MAGALOTTO

S. FERRARIEN. ECCLESIÆ EPISCOPO

ANNI M. DC. XXXVII.

Iussu Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini

D. FRANCISCI MARIÆ EIVSDEM TITVLI

S. R. E. PRESBYTERI CARD. MACHIAVELLI

Eiusdemque Ecclesiæ Episcopi in lucem edita.





FERRARIÆ, M. DC. XXXXIV.

APVD IOSEPHVM GIRONVM

Typographum Episcopalem.

FRANCISCVS MARIA
SS. IOANNIS ET PAVLI S. R. E.
PRESB. CARD. MACHIAVELLVS
Dei & Apostolicæ Sedis gratia Sanctę Ferrarien. Ecclesię Episcopus.

Vniuerso Clero Ferrariensi salutem in Domino.



VM primùm ad Ecclesiæ Ferrariensis gubernacula Dei consilio, nutuq; admoti fuimus, eò studia, & cogitationes omnes conuertimus, vt Christianus populus nostræ fidei, tutelæq; concreditus, quam maximè tuto, & expedito virtutum cursu portum salutis attingeret, & dum teneremur anxij sollicitudine, animaduertimus, magna nos curæ huius parte liberatos ab Eminentiss. Laurentio Cardinali Magalotto, præstantissimo Antecessore nostro; qui cum non ingenio solum, doctrinaquè splendidus, sed ardens in primis pietatis Ecclesiasticæ zelo, dies, noctesq; pro Republica vigilaret, celebrem etiam egit pręstabilium clericorum de morum correctione conuentum, quam deinde Synodum certis capitibus in codicem digestam reliquit. Eam nos, cùm optimis in omnem Christianæ vitæ partem monitis, ac pręceptis instructam, ornatamq; inuenerimus, necessarium duximus in lucem edi, palamq; proponi omnibus, vt ad eius normam vitam ab integro dirigant, & officiorum suorum momenta perpendant.

En igitur Ecclesiasticas nostras leges in lucem tandem prolatas, radios, inquam, diuinæ lucis apertos, & obuios illustrandis veritate mentibus, & inflammandis voluntatibus ad honestatem: eas quicumq; inspicere, ac custodire defugerint, verum solem patrem luminum ignorantes, filios se tenebrarum ostendent, ipsa ethnicorum hominum cæcitate miseriores. Hi enim Platone admonente in Protagora, satis didicerunt, admonitiones, ac præceptiones, quæ ad benè, beatèq; viuendum mortales inducerent, longe altiorem humana originem primam hebere, cælitumq; statu potius, quàm hominum industria esse prognatas. Quid de hac igitur sacrosancta morum disciplina docendum eritnon? nè ipso diuinæ lucis ex fonte Christo Domino hausta est? de quo illud legitur in prisci Vatis oraculis. Qui emittit lumen, & vadit: stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis. Quid stellarum nomine suis in custodijs intelligere par est, nisi sacerdotes in Ecclesiæ Cælo principes, custodiæ populorum suorum intentos? quonam autem modo, vel tempore dari ab eis lumen diximus opportunius, quam cum editis optimis legibus, viam in hac nocte mortalitatis ostendunt, qua sine ambage subiecti homines, perueniant ad virtutem, & gloriam.

Sed magna pars hominum, & lucem veritatis oderunt, & à tergo viam virtutis relinquunt; in quos Cap. 24. *illustre dictum illud legitur apud Iob. Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius. Vagari siquidem amarè per amœna*

illa

illa spatia deflorescentis voluptatis, & opum marcescentiū, honorumq; fugaciū, solent repetentes verbum illud insipientium apud Sapientiam Coronemus nos rosis antequam marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, id est, morum omnium aperta solutio. Sed qua ratione Deus constringendam illam duxerit, viæ similitudinem seruans, obseruari potest apud Oseam prophetā, cuius in effatis illud habetur Domini oraculum ad impios habitum. Ecce ego sepiam viam tuam spinis. Spinæ sunt non incommoda solum, & ærumnæ, quibus vana sæculi fælicitas infæliciter affluit; sed præscriptiones etiam, ac leges moderatorum, quę vitæ solutioris hominibus spinarum instar duræ videntur, & asperæ, non sine pœnis adiunctis, quæ contumaciam figunt, & compungunt. Ad Magistratus quippe, ac Pastores populorum pertinet illud Ecclesiastes. Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno. Affirmat ergo Sapiens (vt Hieronymi eum locum exponentis verba ponamus) verba sua, esse verba sapientum, quia in similitudinem stimulorum corrigant delinquentes, & pigros mortalium gresus aculeo pungente commoueant, sicq; sint firma, quasi claui in altum, solidumq; defixi, nec auctoritate vnius, sed consilio, atq; consensu magistrorum omnium proferantur. Quibus verbis quid proferri poterat in rem nostrā accōmodatius! per magistrorum consilium, inquit Salomon, data sunt, quod Hieronymus vertit, quæ ab habentibus cœtum

Cap. 2.

Cap. 12.

tradita sunt siuè, vt nos vertere possumus, à Sacra Synodo constituta. Vnus nimirum gregis humani Pastor Episcopus hæc omnia imperat, & euulgat, quæ tamen non vnius consilio tantum inuenta, & statuta sunt, sed magistrorum habentium cœtum, totius, inquam, Synodi auctoritate comprobata fuerunt.

Quæ res momentum non leue populis afferre debet ad obediendi alacritatem, cum videant salutaria hæc virtutum opera non vnius, aut alterius præcipiti arbitrio decerni, ac præcipi, sed constitui solum, quæ post accuratam deliberationem necessaria huic Ecclesiæ iudicarunt esse tot sapientes viri, qui ciuium nostrorum mores in omni fortuna cognitos habent, nè dicam, statum etiam interiorem animorum exploratum, penitusq; perspectum.

Neq; multitudine legum, neq; rerum difficultate deterreri vllus ab obsequio debet: quamuis enim videantur non paucæ, non omnes tamen omne genus hominum adstringunt, sed per varios Reipublicæ ordines singillatim vagantur, & aliæ quidem ex decretis Pontificum, aliæ de Conciliorum generalium sanctionibus, aliæ sacris è canonibus acceptæ, vel necessario deductæ sunt, quæ nobis tacentibus tenendæ, & vsurpandæ fuerant; nec nouam in obligationem à nobis vocatæ, sed reuocatæ potius in memoriam fuerunt. Si quæ verò conditæ recens in recentium morborum sanationem, & curam, duriores imbecillo alicui pectori videbuntur; meminerit humanæ naturæ, quæ instar syluestris agri est, nihil fermè ferens nisi cultura, & labore quæsitum,

quo

quo nimirum alia quotidie resecari, inseri alia debent, nonnulla etiam stirpitus euelli, nè succrescant in perniciem meminerit ægritudinum nostræ mentis ex primorum parentum intemperantia contractarum, quibus remedium facere sine acerbo aliquo medicamentorum sensu non possumus; meminerit diuinæ gratiæ, quæ instar olei suauissimi iugum obedientiæ quantumuis durum, & asperum, mitigare vna potest, & emollire; de qua intelligunt propterea Patres dictum illud Isaiæ, computrescet iugum à facie olei; & ob quam Cap. 10 *Christus gratiæ largitor adiecit. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Meminerit deniq; Christianæ virtutis coronam, & palmam in empyreo Cælo, hoc est, in arduo rerum omnium apice sitam esse, ad quam non nisi obedientiæ gressibus, & per sacrarum legum semitas peruenire fas est. Ea propter magni Præsulis Augustini vocibus omnes vos extrema hac* Ex serm. p. in fest. omnium sanctor. *oratione compello. Agite, inquam! nunc fratres, aggrediamur hoc iter vitæ: ad hanc operum salutarium palmam libenter, ac promptè certemus: omnes in hoc agone iustitiæ Deo, & Christo spectante curramus: nusquam Dominus meritis nostris ad præmium deerit remunerator, qui coronam in persequutione purpuream pro passione donauit, ipse in pace viuentibus candidam, iustitiæ meritis dabit.*

AV-

LAVRENTIVS,
TITVLI SS. IOANNIS, ET PAVLI,
DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA,
SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE
Presbyter Card. Magalottus nuncupatus, & Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus.



VM primum ad Sanctæ huius Ecclesiæ regimen Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia nos vocauit; Diuino pariter illustrati lumine intelleximus, quale, ac quantum susceperimus onus, vel cum ipsius Dei Principatu commune, qui nomen Pastoris, & officium non est dedignatus, dum B. Petro dicens: Pasce Oues meas, illud ipsum imitatione quadam, & reliquis Episcopis Petro subiectis insinuauit. Propterea, non Vicariis, sed nostris ferendum humeris arbitrati, quam expeditissimè curis cæteris, quibus detinebamur, excussis, protinus itineri nos dedimus, & ad ouium nostrarum procurandam salutem, animum, viresq; conuertimus.

Verùm, cum minime nobis licuisset Dominicum hunc agrum, quod exoptabamus, circumire, excusabilem moram Coagricolarum nostrorum adiumento purgauimus, effecimusq;, vt quisq; agelli sui conditionem, & statum per epistolam significaret.

Ita planè accidit, vt nostræ sollicitudinis sitim toto æstiuo tempore tantisper restinxerimus.

Ineunte porrò Autumno, feriari nos pudebat, memores indi-

indignationis Domini super Pastores, qui gregem suum visitare cunctantur.

Inde ab Ecclesia Cathedrali visitationis primordia de more sumpsimus. Paracias omnes, Fratrias, Oratoria, Monasteria sanctimonialium, piasq; reliquas domos adiuimus.

Interea imminentis belli, & belli assectarum pestilentiæ, famisq; in finitimis Diœcesis nostræ Transpadanæ regionibus rumor cum percrebuisset, illuc properè aduolauimus, & priusquam pars illa ditionis hisce calamitatibus affligeretur, & Dei singulari beneficio rem totam absoluimus; subindeq; Diœcesim vniuersam circumlustrando peragrauimus.

Nunc (venerabiles Fratres, & Filij dilectissimi) quæ post illam visitationem, cæterasq; extemporaneas, vt nostis, in annos singulos peractas, animaduersione digna censuimus, Vobis ad præscriptum Sacrosancti Oecumenici Tridentini Conc. in hac prima nostra Synodo aperimus, proponimusq;. Nam sicut per communionem gratiæ regiones iunguntur, ita vt vna deferat fructus, quos altera non profert; Deus, qui dat suis spiritum consilij, id egit in cordibus fidelium, vt conferant, quæ acceperunt, & fructus sibi inuicèm exhibeant, vnaq; charitate iungantur.

Hinc more vetustissimo, & summoperè ab ipso Ecclesiæ exordio laudabili, Vniuersalia Concilia, Prouincialia, Diœcesana quoq; conuocantur, non ad corrigendos mores tantum, verum etiàm ad illa solemnius instituenda, quæ pro animarũ salute, pro Ecclesiæ cultu, pro fidelium instauranda disciplina, & pietate desiderantur.

Eodem & nos consilio Synodum hanc indiximus celebrandam, vt nimirum Ecclesiastica Hierarchia, quantum

nobis

nobis immeritis licet, effulgeat in vniuersa Diœcesi nostra.

Interim norint omnes, ingenij nostri non esse cum seueritate potestatis iubere, legesq; dicere, quippe qui semper arbitrati fuimus virtutem nullam lenitate humaniorem, nullam Clementia dignorem Episcopo.

Pastores facti sumus, non percussores; pascendas suscepimus Oues, non premendas; immo veriùs adiuuandos liberos, quos Dominus Patriæ nostræ spirituali tradidit Potestati.

Sed quotusquisq; inficietur in agro Domini nos positos esse, vt noxias herbas, & arbores euellamus, vt insidiantes gregi lupos procul arceamus, latrones propulsemus, & improborum morum, impuræq; doctrinæ cultores eliminemus.

Disciplina, & misericordia, nimirum eneruantur, nisi mutuo se fulciant. Vtramq; Moyses miscuit in regimine populi, ne huic illa, hæc illi deesset.

Acerba medicina, si non delectat, sanat.

Qui imperia libens excipit, partem acerbissimam seruitutis effugit, facere, quod nolit.

Plurima circa nos omnes lux est, qui alios regimus; non aliunde fere, ad quod sese componant, exemplum sumpturos, non aliunde obsequendi voluntatem.

Ccertè beata gens, cuius Dominus Deus eius; quæ nimirum Sacerdotes bonos, sua esse propugnacula, suas Turres, sanctorum Virorum sancta consilia, sua esse circumuallata Mœnia intelligit, ac Dominũ in Sanctis suis custodire Ciuitatem.

Nostro igitur (fratres, & filij) relinquitur studio, vt

per

per omnes vias in nobis sit, iuuante Deo, virtutis constantissimus tenor, & pietatis nitor, ac splendor eluceant, vt non minus sanctorum operum, & spiritualium laborum socij simus, quàm suasores.

Tu Domine, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, qui dixisti, effundam de spiritu meo super vos, qui prædestinasti nos in adoptionem Filiorum per Iesum Christum, secundum diuitias gratiæ tuæ, notum fac nobis Sacramentum voluntatis tuæ & beneplaciti tui, vt possimus instaurare omnia in laudem gloriæ tuæ, & Ecclesiæ Sanctæ, in qua habitas cum Filio, & Spiritu Sancto, per sæcula.



IN-

INDEX
Rubricarum hoc libro contentarum

PARS I.

PARS II.

PARS III.

PARS IIII.

FINIS.

In Nomine SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDVÆ TRINITATIS,


PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI AMEN.

NOS LAVRENTIVS, Tituli Sanctorum Ioannis, & Pauli; Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbiter Cardinalis Magalotus nuncupatus, & Sanctæ Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus.



Diuina ope, ac Deiparæ Virginis, Sanctorumq; Georgij, & Maurelij Ecclesiæ nostræ Patronorum humilitèr implorata.

QVÆ inferiùs adscripta, & definita sunt in prima hac nostra Diocæsana Synodo, ad Ecclesiæ Disciplinæ morumque integritatem instaurandam, nec non pro fidelium nostrorum salute, & conuersione ad Pastorem animarum Dominum Iesum Christum: & demùm ad Christianæ, & Catholicæ Religionis amplitudinem, annuntiamus, decernimus, & statuimus.



PARS PRIMA
DE
CONSTITVTIONIBVS.



Egum copia vaſtatur plerumq; magis Ciuitas, quam corrigitur; Satius itaq; exiſtimamus in pluribus, leges iam conditas ſeruare, quam recentes proferre, & iuxta Apoſtoli dictum in ijs permanere quæ dicta, & credita ſunt.

Initia quippe legum, & ſemina ab ipſo Deo fluxerunt in hominum pectora, & ſatis abundè Pontificum Canones, Concilia, ac plures ſubinde ſecundum tempora Apoſtolicæ editæ conſtitutiones, Fidelium Paſcua, Orthodoxæ doctrinę pręceptis, ceu puriſſimis vndis irrigarunt ſalubremq; in vitam æternam ſalientis aquæ potum exhibuerunt.

His nos delectamur, ac ſaturamur, Talia decreta reuerentèr accipimus, ijſq; obedientiam pollicemur, vnde iucundiſſimos noſtræ Synodi latices hauſimus, quos nũc Dilectiſſimi ori veſtro puriſſimo propinamus.

Vti-

Vtinam (quod ſperamus) proficiant ad ſpiritualem valetudinem, ad erudiendum, & corripiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo in Deo, ad omne opus bonum inſtructus.

Inuiolabilitèr hæc ſeruari præcipimus.

Conſtitutiones etiam Synodales Prædeceſſorum noſtrorũ poſt Sacrũ Tridentinũ Concilium editas; quę ſacris conſtitutionibus Apoſtolicis, & his noſtris non aduerſantur, cenſurarum pœnis exceptis confirmamus, & approbamus; perindè ac ſi à nobis editæ fuerint, & earum tenor hic eſſet inſertus; has quidem vna cùm præſentibus, & Pontificijs diplomatibus, & ſacrarum Romæ Congregationum Decretis, & ordinamentis authenticis pro temporis ratione promulgatis, promulgandiſq; ad Eccleſiæ noſtræ negocium quoquo modo facientibus; in Archiuium noſtrum referri iubemus.

DE FIDE CATHOLICA.

FIdes (vt aiebat Apoſtolus) eſt ſubſtantia rerum; quas ſperamus, indexq; rerum, quas non videmus; per quam iuſtificati, pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Huius luce virtutis fugantur animi vitia, & impietatis obices animosè ſuperantur.

Quæ igitur ad Catholicam fidem Sanctè, & fidelitèr retinendam conducere videntur, Sacrorum Canonum, & Conciliorum, ac Tridentini præcipuè tenen-

tes vestigia, proponenda censuimus.

Iubemus itaque, vt dignitates omnes, & Canonici, in Cathedrali Ecclesia pro tempore futuri, infra duos menses à die acceptę possessionis, tum coram nobis, vel nostro Vicario Generali, tum etiam in Capitulo nostro fidei faciant professionem.

Nec non de beneficijs Ecclesiasticis curam animarum habentibus prouisi, & alij omnes beneficiati, ante adeptam posessionem, vel postea infra duos saltem menses, idem in manibus nostris, vel Vicarij Generalis præstent, & adimpleant, scientes alitèr se non facturos fructus suos, nec acquisitam posessionem sibi profuturam.

Eidem subeundæ Professioni subiciantur Confessarij ac Prædicatores, tam Sæculares, quam Regulares, illi quidem antequam audiendi veniam cõsequantur; hi verò ante concionandi facultatem impetratam, nisi aliud nobis visum fuerit.

Item, & cuiusq; scientiæ Professores antequam suę facultatis munus exerceant, seù ad Doctoratum promoueantur,

Procuratores quoq; àc Notarij Sanctæ Inquisitionis Impressores, & Bibliopolæ.

Medicinam denique, & Chirurgiam exercentes non solum fidei, vt supra Professionem faciant, sed etiam speciatim iure iurando promittant seruaturos se Constitutionem Sanctæ Mem. Pij V. incipientem *Supra Gregem Dominicum*.

De his omnibus rogetur Cancellarius, profitentium-

tiumq; nomina, & cognomina in libello particulari describat.

Ad hęc nemo ad hęreticorum regiones siue mercandi, siue alterius negotij gratia se transferat, nisi prius nobis, seu R. Patre Inquisitore consultis, causaq. serio examinata, vt salutaribus documentis, & cautionibus instruatur; Cum illuc peruenerit singulis annis authenticam fidem de sacramentorum debita receptione aliorumq; obseruatione iuxta Clem. VIII. S.M. Constitutionem ad nos transmittat.

Nemini etiam fas sit, in vllo virorum, seu Mulierum congressu concionari, aut spirituales Repræsentationes publicè habere vel (si Laicus fuerit) Sacram Scripturam exponere aut de fide disputare, nisi priùs à Nobis facultatem fuerit assequutus.

Sit porrò fides, vt costans; sic clemens, & humilis Diuini credula amoris, diuinæ famulatrix Omnipotentiæ. Cæcus ferè sit oculus mentis, vt videat oculus fidei, nam, & excæcatis Pauli corporis oculis, confestim menti Cœleste fidei lumen illuxit.

Diuina, ac Cœlestia, libentiùs charitati inclinantur quàm studio; cedunt magis virtuti, quam ingenio.

Exaltantur autem quoties ascendit homo ad cor altum, & ab audacibus euolant oculis, soli nimirum Petro, hoc est Ecclesiæ dictum est, duc in altum.

Præterea quoniam Sanctissimę Recordationis Gregorius xv. Clementinæ prædictæ constitutioni adiecit, vt ne cui Hæretico in Italiæ locis sub quouis prætextu domicilium ponere, aut domum habere, & commorari

rari liceat; ſin ſecùs vt contrauenientes ſeuere puniantur, vna cum illorum receptatoribus, veluti Hæreticorum fautoribus. Nos pro iniuncti Paſtoralis muneris debito volumus, & mandamus, diſtrictèq; præcipimus, vt Curiæ noſtræ Miniſtri, Parochi Ciuitatis, Vicarij, & Parochi Foranei, ſi cognouerint, aut ſuſpicati fuerint in Vrbe, vel Diœceſi Hæreticum aliquem, aut alterius non Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ Religionis hominem commorari, Iudæis exceptis, quibus à Summis Pontificibus indultum eſt Ferrariæ domicilium, ſedulò àc diligentèr inquirant, num in Epiſcopali Curia, ſiuè in S. Inquiſitionis officio ſtatim ab aduentu ſe ſe præſentauerint, ac præfinitæ ad certam diem commorationis facultatem deſcriptam obtinuerint.

Inſuper decernimus, vt non liceat Cauponibus, hoſpitibus, aut Infidelibus vt ſupra per Diœceſim noſtram iter facientibus hoſpitium prębere diutius quam vnicæ noctis, vel horæ prandij abſq; licentia noſtra, vel R. Inquiſitoris ſcripta. Eoq; tempore ſuos familiares, vxorem, liberos, exceptis ſeruis vitæ probatioris, cum prædictis aduenis hæreticis conuerſari non permittant, cibos vetitos ab Eccleſiaſtico præcepto minimè parent, Sacras Imagines inde ammoueant, vbi prandere, cœnare, ſomnum capere, hæreticum, & Infidelem hominem oportuerit.

DE

DE FIDEI RVDIMENTIS, ET DOCTRINA CHRISTIANA.

Vix explicari poteſt, quantum emolumenti ad Fidei Catholicæ propagationem, & confirmationem afferat Doctrinæ Chriſtianæ exercitatio, quę quidem circa duo verſatur, illud nimirum, quod credendũ, & quod faciendũ eſt, vt ipſa fides in operibus viuat.

Hanc pretioſiſſimam panis ſpeciem à Parochis frangendam paruulis exhibemus piorumq; vtriuſq; ſexus Fidelium opere miniſtrandam; Et vere hæc diuina ſapientia eſt quæ ſicuti Philoſophorum mundi dogmata excedit, ita nos omnes ſupra Mundi ſapientiam conſtituit.

Itaq; ſingulis diebus Dominicis, dato ſigno, ante veſperas in Eccleſijs Ciuitatis à nobis deputandis, in Diœceſi vero in vnaquaq; Eccleſia Parochiali, vel alia à nobis, aut Vicarijs noſtris foraneis bene viſa vtriuſq; ſexus Pueri Fidei Rudimentis erudiantur.

Non aliam edocendi formulam ſequentes, quam quæ à recolendæ memoriæ Domino Cardinale Bellarmino compoſita, & promulgata fuit, ea ſcilicet facile Pueri percipiunt, quæ ſalua Religione ignorari non debent, vt cùm creſcente illorum ętate, pietas etiam, pietatiſq; diſciplina adoleſcant.

Monemus prætereà Parochos, vt ſæpe alta voce recitari faciant Pater, Aue Maria, & Credo, & pręcepta Decalogi.

Et

Et amplius vt pueros ad cultum Dei, ad obedientiam Parentum, ad reuerentiam Sacerdotum, ac seniorum accendant.

Intersint Parochi omnes Ferrariæ, intra fines suæ Parochiæ in ea Ecclesia in qua Pueri Christianam Doctrinam edocentur, sintq; validi Duces huius dignissimi ministerij.

Patres, & Matres familias studiosè curent, vt filij, & famuli ad D ctrinę Christianę rudimenta percipienda accedant, sciantq; trasgressores grau ssimas pœnas subituros.

Clerici sub vna quaq; Parochia degentes, huic obsequio adscripti, vel adscribendi opem Parocho, & Operarijs ferant, ne quod in laicis studium desideramus, in Clericis deesse videatur.

Societati Humilitatis in hac Ciuitate erectæ aggregari volumus (pro vt aggregamus Scholas quascunq; Christianæ doctrinæ) tam hucusq; erectas, quàm in posterum erigendas.

Demùm Parochi studeant non solum Pueros, sed etiam adultos indoctos omnes in ijs, quæ ad salutem & Religionem spectant, edocere, eosq; maximè, quos torpere ad res spirituales agnoscunt.

In reliquis singulis annis quantum quisq; profecerit nobis significent iuxta præscriptum Epistolæ nostrę Pastoralis, easq; seruari curent regulas, quæ summopere colendus Prædecessor noster b. m. Reuerendissimus Fontana constituit.

DE

DE LIBRIS CONTRA FIDEM, ET RELIGIONEM CATHOLICAM.

QVi non permanet in Doctrina Christi, Deum non habet. Si quis venit ad vos, inquit S. Ioannes, & hanc non affert doctrinam nolite eum recipere in Domum, nec Aue ei dixeritis.

Eorum itaq; nomina ab hominum recordatione delenda sunt, eorum Volumina, & scripta reijcienda, & condemnanda, quæ Catholicam Fidem, & bonos mores quoquo pacto peruertunt.

Videtur hæ quidem, dulces plerumque sed venenatæ sunt iniquorum dapes, quibus Christiani corporis membra corrumpunt.

Insana sunt arma illa, quibus Ecclesię castra, & acies terribiles inuadere Ducesq; frangere tentant.

Infideles ac Hæretici nouo hoc dementiæ, ac feritatis genere in Ossa sanctorum gloriososq; cineres sæuierunt.

Horum igitur fama, vna cum scriptis abolenda, & proscribenda est.

Quod vt assequamur faciliùs, præcipimus ne aliquis librarius imprimere, vèl publicè venum exponere audeat libros, qui huiusmodi prauitatem, ac fæditatem redolebunt. Nemo etiam ijs priuatìm vtatur, nullus eos retineat, commodet, euulget, sub pænis à Pontificijs Constitutionibus irrogatis.

Impressores librorum, manuscripta sub prælo po-

nere non audeant, nisi à nobis, vel alijs de mandato nostro deputatis recognita, probataq; fuerint.

Preterea libros de quauis materia tractantes, & vbicumq; compositos, nemo nostræ Diœcesis deferre aliò, vel mittere imprimendos poterit, sine nostra, & R. Patris Inquisitoris licentia.

Libros autem huiusmodi contra huius decreti tenorem impressos; præter alias pœnas arbitrio Sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. infligendas, prohibitos esse annuntiamus.

Pariter prohibita dicimus officia quædam parua SS. Ioseph, Angeli Custodis, Sanct: Caroli, & similia, ex decreto Indicis, Sacræ Congregationis consensu editi.

Intelligant tandem omnes nobis subditi mortiferè peccare, & Episcoporum arbitrio se puniendos fore, quoties libros legerint, compræhensos in Indice librorum prohibitorum.

Nec non legentes libros hæreticorum, vel tenentes, excommunicationis pœnam incurrere, iuxta Constitutionem Pij IV. Summi Pontificis.

Nec facultatibus fortè datis fidem habeant, quia libros prohibitos habendi, legendiq; facultates omnes reuocatas esse admonemus; ita vt sola suprema Congregatio Sancti Officij in Vrbe illas concedat, iuxta Constitutiones fel. recor. Gregorij XV. & Sanctissimi D. N. Papæ Vrbani VIII.

DE

DE VERBI DIVINI PRÆDICATIONE, ET DE HABENDIS CONCIONIBVS.

VBi quis insigne sacri, & Euangelici pręconis munus susceperit, viuendo priùs illuminet, quæ loquendo suadere intendit, eloquij quippe perditur auctoritas, quando vox opere non adimpletur.

Non luceat, non ardeat solùm, sed luceat simul, & ardeat.

Valdè dedecet, legem Domini ædificare, & destruere; amicum esse, & inimicum erroris; animarum raptorem, & Custodem; alijs prædicare, & ipsum, qui prædicat reprobum effici.

Abstineat deinde à fabulosis Poetarum deliramentis, nisi huiusmodi figmenta ad correctionis fructum speret detorquere, oblectamenta scilicet inanium fabularum, mentem plærumq; excitant illecebris libidinum.

Caueat quoq;, nè Sacræ Scripturæ Verba, & oracula ad prophana, & scurrilia conuertat, temerarius etenim verbi diuini censeretur violator, & pænis à iure, & Tridentino Concilio illatis subijceretur.

Non nisi explorata afferat miracula.

De Mundi vniuersitatisq; interitu, & supremo illo Iudicij die, futurum aliquando affirmet quidem; tempus autem edicere abstineat, summæ enim est vanitatis, & impudentiæ ea præscire velle, quæ Deus in sua esse voluit Potestate.

Nominatìm quemquam ignominia, aut repræhensione notare non audeat.

Quoties Sanctimonialium Monasterijs concionandi causa deligetur, ea in dicendo grauitate, modestia, & circumspectione vtatur, quæ muliebri captui, & talium Virginum pudori conuenire videtur.

Optamus etiam vehementèr, vt Euangelica hac legatione Concionatores honorificè fungantur, & quamuis ab ipsius nascentis Eccl. primordijs spiritualia Serenti tēporalia metere concessum fuerit; quæque tamen sordida, & nimiā cupiditaté redolentia reijcimus.

Animaduertant itaq; Concionatores, vt eleemosinas non suis, sed pauperum vsibus petant, nullo autem pacto prò certis personis, vel operibus sine licentia, vel Vicarij Generalis in Ciuitate, vel Vicarij foranei in Diœcesi.

Res amplius quascunq; deperditas minimè denuncient, indignum putantes, Apostolicum Præconem temporalia quæq; vilissima pertractare.

Ad hęc nullus siuè Sæcularis, siue Regularis in Ecclesijs nostræ iurisdictionis, sine nostra licentia, præuio examine audeat concionari.

In Ecclesijs autèm sui ordinis Regulares concionaturi, post maiorum suorum obedientiam, benedictionem priùs à nobis petant.

In Ecclesijs aliorum ordinum, licèt Regularium concionari non audeant, nisi prçuio examine approbati, & cum licentia nostra, vel Vicarij Generalis scripto data.

Et

Et nè omittamus de temporibus agere, quibus conciones habendæ sunt. Decernimus in Cathedrali Quadragesimæ toto tempore de rebus diuinis concionandum, in Aduentu, quibusq; diebus festis. Item, & quotiès, aut Iubileum editum fuerit, aùt supplicationes ab Episcopo indictæ, aùt visitatio, aùt Synodus habebitur, & demum quotiès nobis videbitur:

Noctú certè Conciones vetamus haberi, & similitèr, dum rem diuinam Sacerdotes faciunt, aùt dum horæ Canonicæ, ac alia diuina officia recitantur.

Amplius quod Clemens v. P. M. in Viennensi Concilio sanciuit, ad vsum reuocare consentaneum ducimus, vt scilicèt, habente Concionem Episcopo, nemini in Ciuitate (Parochis exceptis) eodem tempore concionari liceat, ne Regularibus quidèm, in eorum Ecclesijs, nisi ex iusta aliqua causa ab ipso Episcopo id eis permittatur.

Demùm Clerici, & Sacerdotes Cathedrali Ecclesię addicti, dùm Concionibus intererunt, super pelliceis induantur.

Omnes autem, qui audiunt Verbum Dei, ne dùm Auditores maneant, sed etiam eiusdem factores verbi. Euangelicam quidèm libentèr ediscant doctrinam, sed moribus quoq; vitaq; exprimant.

Aliud est enim (inquit Diuus Bernardus) multas diuitias scire, aliud possidere, neq; scilicèt notitia diuitem facit, sed possessio, nec sapientem cognitio, sed timor Domini.

Aliud

Et quoniam occaſione concionis, de locis ſedilium controuerſiæ oriri ſolent; Præcipimus nè quis de cætero, tam in Ciuitate, quam in Diœceſi, in Eccleſijs ſub Ordinarij iuriſdictione poſitis, locum, vbi ſubſellia, ſiuè banchæ reponuntur, tám alienum, quàm à nemine adhuc occupatum propria auctoritate ſibi vſurpare tentet, & ideo in Eccleſijs dicta Subſellia, aùt cuiuſuis generis ſedilia, alicubi collocare non audeat, ſinè noſtra licentia, hucuſq; appoſita, nemo turbet, in alterius præiudicium ſub pœnis arbitrio infligendis.

Rectores, & Parochi, aùt qui Eccleſiæ præſunt; vbi hac de re quæſtio oriretur (quod ſæpè accidere ſolet) nos illicò certiores reddant, n oſtrũq; expectẽt iudiciũ.

Sedilia verò vniformia ſint, & quam minimum ſpatij occupent, fiantq; ſi per opes Eccleſiæ, vel Populi licuerit communi expenſa, aùt ſi priuata peculiaris alicuius perſonæ ſumptu fiant, in omnibus cæteris ſimilia, nullo gentilitio ſigno, nullo inſcripta ſint nomine, niſi alitér habita Ecclæſiarum, & perſonarum ratione Nobis viſum fuerit. Mandamus propterea, tam Vicarijs foraneis, quàm Eccleſiarum ſingulis Rectoribus Ciuitatis, & Diæceſis, vt ſedilia ad præſcriptum huius decreti infra annum componi curent omninò, & non parentes Vicario Generali renuncient, qui re ad Nos delata prouidebit.

DE

DE BLASPHEMIS HÆRETICIS, MALEFICIS; ET ASTROLOGIS.

QVi linguæ procacitate in Deum grassari non verentur, cui ad referendas gratias, & celebrandas laudes nullum humanum sufficit eloquium summæ impietatis, & Insaniæ crimen committunt.

Quicunq; ergò ore sacrilego Deo maledicere ausus fuerit, vel obscęnis verbis Domini nostri Iesu Christi, seù Beatissimæ eius Matris nomen vsurpare, & expressè blasphemare, pœnis à Constitutione S. M. Pij Quinti inflictis feriatur.

In hoc genere perfidiæ præcipuum locum obtinet detestandum hæresis crimen, quod sui etiam contactu pestifero cæteros inficere solet, & contaminare.

Hæreticum itaq; hominem, nè dùm euitandum, quia subuersus est, ac proprio iudicio damnatus, sed aduersùs eum, velutì communem veritatis, & fidei hostem irruendum censemus, pœnis à Sacris Canonibus, àc Pontificijs Constitutionibus Sancitis.

In Maleficos paritèr, & veneficijs sæuientes durissimas leges Sũmi Pontifices meritò protulerunt, illosq; nec non Magos, Incantatores, vanosq; rerum obseruatores, Ecclesia perpetuò damnauit.

Astrologi etiam iudiciarij, super astra se inaniter efferentes, perturbationes arrogantèr, & pericula prædicentes, nèc non qui in graue Reipublicæ Christianæ scandalum, artem quamlibet diuinatoriam

Canone Jor. Blasphemia fol. 27. Heretici 104. Astrologia 13

profitentes consulere ausi fuerint, pœnis acerbissimis à Constitutione Santissimi Domini Nostri Vrbani VIII subijciuntur. Maximè de statu Reipublicæ Chr stianæ, vèl Sedis Apostolicæ seù vita Romani Pontificis, aùt eius consanguineorum iudicia facientes, seù facta penes se retinentes, vel alicui ostendentes, aùt verbis tractantes, qui ne dum excommunicationis maioris latæ sententiæ, sed etiam vt læsæ Maiestatis rei, vltimi supplicij, & confiscationis bonorum suorum, & beneficiorum, & officiorum ex præscripto eiusdem Bullæ, si Clerici fuerint pœnam incurrunt.

Hoc igitùr pessimum, & exitiale hominum genus, nos quoq; à Diœcesi nostra eijcere cupimus. Ideoque mandamus, & Parochis omnibus, & singulis Christi Fidelibus districte præcipimus, vt tam nefarij flagitij non solùm crimina, sed indicia ad nos statim deferant, delinquentium enim improbos ausus progredi non sinemus, pœnisq; statutis eos affici curabimus, tum ex Constitutione S M. Sixti V. tùm Gregorij XV. tùm demùm Santissimi Domini nostri Vrbani VIII.

Et quià frequentius sortilegia à vilibus personis committuntur, Vicarijs foraneis, Archipresbiteris, cæterisq; Rectoribus, & Parochis curam animarum habentibus iniungimus, vt à suo Grege studeant huius generis homines, nec non Mulieres, striges, lamias, & quascunq; personas superstitionibus, incantationibus, & Sortilegijs, quibuscunq; deditas arcere.

Et propterea, quos nobis, vel Sancto Officio denunciandos iudicauerint prò sui muneris debito, quàm

quàm primum denunciari curent.

Et si quos etiam suspectos habuerint, nobis illicò scripto aùt viua voce significent.

Laicis quoq; & Ecclesiasticis hosce nefarios denunciandi debitum ad memoriam reuocamus, sub pænis à Sacris Canonibus, Pontificijs Constitutionibus, & S. Officij Edictis constitutis.

Volumus insuper, eos vtriusq; sexus à Parochis præsertìm obseruari, & ad nostram Curiam deferri, qui simulant se habere arcana remedia, & medicamenta, eaq; vel docent, vel exercent signis, & verbis superstitiosis; Inde .n. Deo permittente morbi interdum scaturiunt, & saltem rudes, simplices, & incauti decipiuntur.

DE SACRIS RELIQVIIS.

Religionis est, & pietatis insigne, Martyrum, & Sanctorum Reliquias pretioso operire velamine, & luminibus rutilantibus custodire, & venerari, imò illorum Basilicas ingredi, & illustrare. Non quia his indigeant Beati, sicut non indiguit Christus Vnguento; sed in honorem, & decus Sanctorum, & ad ipsius met Dei gloriam; & quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Huiusmodì venerationem, idem ipse Dominus sæpe signis commendauit, dum latentia quandoq; sub ignobili cespite, aùt etiam sub vndis Sanctorum Corpora, & Reliquias Ecclesiæ suæ reuelauit, vt eos for-

tafsè constitueret Principes Populi sui, quos Principes statuit in Cœlis, vel vt spirantia fere Beatorum Corpora, & mirabiles reliquias offerendo, quasi vniuersalis resurrectionis locupletissima pignora humano generi consignaret.

Benè itaque veneratione coluntur hæ Victimæ triũphales in Vasis, & arculis; bene succedunt in locum, vbi Christus hostia est. Ille nimirùm super Altare qui pro omnibus passus est, isti sub Altare qui pro illo passi sunt, illiusq; redempti sunt passione, & sanguine.

Has itaq; sacras Reliquias, & nos venerandas proponimus, sic tamen vt illis nihilo plus honoris, quàm quantum beatis spiritibus debetur, tribuamus, cum mirifica, & innumerabilia beneficia satis constet per Sanctos à Deo hominibus præstari.

Omnibus etiam Ecclesiarum Diœcesis nostrę Rectoribus, & Superioribus quibusque, etiam exemptis præcipimus, vt si quas habent Sanctorum Reliquias, de ijs quàm primùm, litterarum monumenta, annalium, Tabularum, Lapidum, quibus illæ nituntur, & quibus de illarum translatione, donatione, recognitione, collocatione aliquod percipi possit, recolligant, & ad nos deferant.

In recognitis verò Reliquijs procurent, vt etiam cerni cum opus fuerit, viderique possint, quæ autem sub Altaribus vel alijs subterraneis locis conditæ, per fenestram inspici, inde autem sine licentia nostra minimè extrahi, & auferri.

Reliquiæ porrò nudæ nunquam, sed in decoris vasculis,

culis, velo contectæ sub Crystallo pellucida, siue statuis collocatę exponantur, dato pridiè cum omnibus campanis signo, si tamen à nobis, vel à prædecessoribus nostris probatæ fuerint, ac recognitę.

Clathrjs ferreis, sub duabus firmis clauibus custodiantur, quarum altera apud Rectorem Ecclesiæ, altera penes Vniuersitatem, seu alium, arbitrio nostro permaneat.

Omninò autem in Tabernaculo Sanctissimi Sacramenti non asseruentur.

Quoties producuntur, duo saltem Cerei luceant, non tamen passim ostendãtur, non omnibus festis diebus, sed solemnibus, & præsertim eo die, qui dicatus est in honorem illius Sancti.

Ab eis efferantur; qui in Ecclesia Sacerdotalis dignitatis locum obtinebunt. Hymni cantentur, dùm proferuntur, & Antiphonæ, & postremo loco, Orationes ipsis Sanctis, quorum sunt reliquię congruentes,

Ipsa quo què die officium duplex celebrari poterit de Sancto, cuius est reliquia, dummodo sit insignis, nimirum corpus, caput, brachium, crus, aut ea pars, in qua passus est, si Martyris.

Incertas autem, vel nouiter deductas, & repertas reliquias, nullus etiam exemptus, vel Regularis, nisi à Nobis examinatas ad præscriptũ S. Concilij Tridentini Populo colendas proponat.

Item præcipimus, ne quis reliquias ab vno in alium locum transferat, nisi scriptam eius rei facultatem à nobis acceperit.

E' suis Receptaculis, vbi sunt reconditæ, minimè amoueantur, & multo minus huc, & illuc etiam ad Infirmos deferantur, sine eadem nostra licentia.

Et si quando ab vna in aliam Vrbem, vel ab vna in aliam Ecclesiam corpora Sanctorum, & Reliquię, pręsertim insignes transferendæ erunt, non nisi celebri pompa id fiat, ex antiquissimo Ecclesiæ instituto.

Processiones tamen in reliquijs exponēdis minimè fiant, & quæstus omnes arceantur.

Laici procul ab ijs maneant, neque eas audeant contrectare, cuiusuis sint ordinis, & conditionis.

DE SACRIS IMAGINIBVS.

EX oriente Ecclesia Sacrarum Imaginum cultus, & veneratio frequentissima fuit, sic tamen, vt non ad ipsam Imaginem, sed ad ipsum, cuius est Imago, veluti ad prototypum perpetuo relata fuerit.

Quæ nimirum de vanis simulacris suis insani sibi effinxerint Idolatræ; Catholica merito damnauit Ecclesia, gesta tamen Sanctorum, religionisquè nostræ mysteria, hominum oculis subijci consensit, vt imitandi studium fidelium in pectore facilius excitaret, præcipuaquè redemptionis nostræ opera intuentibus obijciens, eorumdem in animis firmiorem adstrueret eruditionem. Vt deniquè homines, Cælestibus victi beneficijs, miraculis saturati, Deum effectorem vniuersorum agnoscerent, qui Sanctos suos voluit gloria decorare, ac per illos magis gloriosum se reddere.

Coer-

Coercenda est quidem nonnullorum, vel simplicitas, vel audacia, qui pro libito quamlibet Imaginem in Ecclesia ponere audent. Nos enim Tridentini Concilij Decretis, parentes, mandamus ne quis in Ecclesia aliqua, etiàm exempta, aut vllo alio loco insolitam, nouamquè tabulam, vel Imaginem, nisi auctoritate nostra retineat, vel apponat.

Imago quæquè Sacra, vel sculptile simulacrum non antea in Ecclesia exponantur, quàm à nobis benedicta fuerint; multo minus extra Ecclesiam deferantur solemni aliqua Pompa

Tunc autem illius Ecclesiæ Rector, vel alius superior edocebit Populum, quæ Sacrosancta Synodus in hanc rem edocenda proponit.

Imago Crucis humi nullo modo ponatur, & multo minus, inter loca infima, & sordida pingatur, sub pœnis arbitrio nostro.

Concedimus tamen, vt Crucis Imago lapidea, vel lignea erigatur, vbi triuia sunt frequentiora.

Demum abstineant omnes à prophanis imaginibus, publicè in Ecclesia, vel locis Sacris exponendis, multoquè magis si tales Imagines ad lasciuiam, aut peccatum prouocare possent, sub pœnis arbitrio. Has easdem turpes, & obscenas Imagines laici omnes à suis domibus amouere curent.

Imagines in Altaribus, vel parietibus Ecclesiarum nequè pingantur, neq; exculpantur, nisi Nos, aut Vicarius noster Generalis earum saltem in papyro typum prius inspexerimus; Quæ autem Imagines

ad

ad peccatum excitare possunt, nullo modo effingantur, vel pingantur, sub pœnis arbitrio nostro irrogandis.

Nullus Ecclesiasticus superior etiam exemptus in sua Ecclesia votiuas tabellas appendi, arculas quæstuosas apponi, cereos accendi ad Imagines, easquè ad infirmos sub quouis prætextu deferri permittat, sin secus arbitrio nostro puniatur.

DE FESTIS DIEBVS CVSTODIENDIS.

FEstorum dierum cultum, in Dei Optimi Maximi, Sanctorumque suorum honorem Catholica instituit Ecclesia, malæ autem consuetudinis corruptela ab hominibus (contrarijs, plerumquè rebus) nefariè violatur.

Sed veh illis, qui festos dies non custodientes, dixerunt in corde suo.

Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.

Sanè enim, qui festos dies sceleribus, vel prophanis rebus maculant, sinè vllo vindice ruinis maximis, & calamitatibus exponuntur.

Nos igitur, nè muneri Nostro Pastorali in re tanta deesse videamur, ex veterum Patrum traditione, Sacrorumquè Conciliorum iussis, & authoritate, Summorumq; Pontificum pro tempore Constitutionibus statuimus, atquè edicimus, ne festis diebus, quicquam seruilis operis fiat, sed omnes in templa conueniant,

niant, ac piè Diuinis Officijs operentur, sintquè sibi mutuo exemplo ad colendum Deum, & propitium habendum, vt qui Christiana gaudent nuncupatione, consonantia etiam opera agere videantur.

Monentes porrò omnes, vt diebus festis Sacro, Diuinisquè Officijs piè incumbant, nequè ethnicorum exemplo vanis, & ludicris rebus dent operam.

Vrgeant autem valde Parochi, vt in festo Beati Martini Episcopi, nec non Kalendis Ianuarij, Maij, & Augusti inania, & turpia solatia remoueantur.

Saltationes, ebrietates, ludi, & cætera deprauati vsus, aut quæ peccandi materiam, & occasionem prębere solent, penitus reijciantur.

Circulatores omnes, & Histriones prohibemus prę cæteris, diebus festis, scamna maxime in conspectu Ecclesiarum conscendere, & maximè tempore quo Diuina Officia celebrantur.

Nihil ematur, aut vendatur, præter id, quod ad victum illius diei, seu ad infirmos, vel iter agentes pertinet, Certa tamen hora, & aliæ Regulæ à Nobis populi indigentiæ consulentibus præscriptæ seruentur.

Tonsores præcipuè, Pistores, Sutores, Calcearij, & similes à suis se abstineant exercitijs.

Exceptos tamen volumus Tonsores, & Aromatarios, si quæ tamen eorum opera infirmis debeatur.

Coloni, Bubulci, & quilibet Agricultores, boues aratro ad seruile opus ne iungant, aut curribus; segetes, aut fœnum, vuas, aliasque Terrę fructus minimè colli-

colligant, aut asportent, nisi necessitas aut periculum ne pereant, vel pietas aliter suadeat arbitrio nostro, seu Vicarij nostri Generalis.

Et quia abusu quodam introductum comperimus, in nonnullis Nostrę Diæcesis Locis, sub Kalendis Martij, commessationes, ebrietates, tripudia, & inanes obscænasquè vociferationes exerceri. Nos qui huic scandalo mederi volumus, & Mulierum honestati cōsulere, nec non quæ Paganorum mores redolent omninò remouere, prohibemus, ne quis impolterum audeat talia committere, sub pænis carceris, & alijs grauioribus arbitrio, & in subsidium etiam Interdicti. Pro quorum executione Parochis Iubemus, vt in casu inobedientię trāsgressores ad Nos fideliter deferāt.

Et vt pietatem Populi Nobis commissi in dies augeri constet, in maiori hebdomada diem Cænæ Domini festum, ac solemnem (vt iam cæptum est) celebrari laudamus, quo, scilicet, tempore, Christus Dominus (ab humana licet morti traditus proditione) hominibus tamen clarissimam Sacri sui Corporis, & Sanguinis mensam præ nimia charitate voluit instruere.

DE IEIVNIO, ET QVADRAGESIMA.

ANimis certè æquè, ac corporibus salubriter prodest ieiunium. Hoc Christus Dominus exemplo suo nobis tradidit, & commendauit, & subinde ab Ecclesiæ exordijs sancta quadam consuetudine sancitum est, atquè imperatum.

Ita-

Itaquè vt Parochi huius Sanctæ obseruantiæ virtutem in suorum fidelium animis valeant inserere, nos, quæ sequuntur, præcipere censuimus.

Quolibet die festo, ijdem Parochi subsequens ieiunium Populo indicare, & imperare debent, iuxta Sanctum Ecclesiæ præceptum.

Imminente præsertim quadragesimali tempore vim præcepti repetant, & aperiant,

Doceant ieiunij tempore ab omni carnis genere, & ab omnibus, quæ à carne gignuntur, illecebris abstinendum esse.

Non dies modo, sed dierum tempora seruanda, itaut non nisi semel, & circa meridiem cibus capiatur, isquè simplex, & moderatus, & ab omnibus gulæ irritamentis remotus ad sustentandum corpus, non ad explendum.

Vespere quoque si cibi, aut vini aliquid prandio adijcere velint, parcè admodum, & tenuiter supplendum esse.

Instruant omnes, Quadragesimæ diebus omnibus etiam festis, exceptis Dominicis, ieiunandum esse.

Animaduertant ad sonum Campanæ maioris pulsatæ ad mediam noctem postremi diei Bacchanalium ieiunium incipere, vt post signum illud, à vetitis cibis sit omninò abstinendum.

Non obliuiscantur quatuor anni temporibus Populum inducere ad ieiunandum, Deumquè etiam deprecandum pro ijs, qui eo tempore Sacris initiandi erunt, nec non ad agendum Deo gratias pro commo-

dis, quæ vertente anno Diuina aſſequimur benignitate.

Demonſtrent ſummopere à prohibitis non tantũ cibis temperandum, ſed etiam à culpis, & peccatis, ideo appetitum rationi ſubijciendum, malas premendas cupiditates, voluptates frænandas, pietatis, & miſericordiæ officia exercenda.

Animi ergo, & corporis imperent ieiunium, & cuilibet dicant, cum Diuo Bernardo.


Totus Ieiuna, quia totus peccaſti.

Qui valetudine à ieiunij religione excluduntur, doleant ſaltem, nec ſuo exemplo quempiam ad violandam ieiunij legem prouocent, imo ſeorſum à ieiunantibus cibum capiant.


Nullus ieiunij adſtrictus legibus audeat ſe ipſum eximere ſuo proprio iudicio, ſed ſui Parochi, aut Confeſſarij ſententiam ſequatur, habito etiam Medici Corporalis teſtimonio, vbi id haberi commodè poterit.

Atqui cum iam hac de re edicta à Nobis emanauerint, in quibus plura in Medicos, & Parochos præcepta continentur, quæ iam, Deo dante, in viridi manent obſeruantia, ea cuncta hic pro repetitis haberi volumus, & omninò huius etiam Synodi Noſtræ auctoritate, in futurum inuiolabiliter obſeruari.

PARS



PARS SECVNDA DE SACRAMENTO BAPTISMI.



DE Sacramentorum Ecclesiæ dignitate, ac virtute non est, quod cum fidelibus Nostris multum agatur, aut ad illorum memoriam quidpiam reuocetur, norunt siquidem omnes, vt opinamur, ea ex pretiosissimo Christi Domini latere profluxisse, eorumquè omnem vim ex ipsius venerabili passione prodijsse.

Quanto porrò noua ab antiquæ legis Sacramentis differant, quantoquè maiorem virtutem, & gratiam in se habeant, præstantissimè prosequutum fuit Sacrum Tridentinum Concilium.

Cæterum, sicut Ecclesia digna fuit semper omnium Sacramentorum sedes, ita maximè Baptismi, à cuius fonte salus nostra fluit, & à primordio Natiuitatis contractæ animi nostri sordes abluuntur, & expiantur, à cuius etiam fundamento totius cælestis ædi-

ficij celſitudo ſeſe erigit mirabiliter, & extollit.

Porrò Clemens V. in Concilio Viennen. ſtatuit, vt in Eccleſiarum fontibus, non priuatis Aulis, vel domibus, baptizandi officium exerceatur, niſi aut filij Regum baptizandi ſint, aut ad Eccleſiam abſquè graui periculo deferri baptizandi non poſſint.

Quoties autem extra Eccleſiam hoc Miniſterium obeundum erit; meminerint Parochi, non alibi quam in Sacellis, vel Oratorijs priuatis, ſi commode fieri poſſit, peragendum eſſe.

Si quis ergò Parochus alibi, quàm in Eccleſijs, vbi ſunt fontes baptiſmales, ſine iuſſu noſtro baptizauerit, ipſo facto à Diuinis ſuſpenſionis pœna, non niſi à Nobis relaxanda, ſe ſentiat innodatum.

Parentes quoquè, Nutrices, ſeu alij quicumquè, ad quos cura baptizandi pertinet, ſub pæna excommunicationis vltra dies octo non differant baptiſmum eius, qui natus eſt, niſi infanti vitæ periculum immineat, tunc enim Domi baptizari, (ſeruatis ſeruandis) omninò iniungimus, qui ſi conualuerit ad Eccleſiam deferatur pro Catechiſmo.

Caueant præcæteris Obſtetrices, nè baptizandi munus, vbi permiſſum eſt, exerceant, niſi prius à Parochis edoctæ, ſæpiuſquè probatæ fuerint, & à Nobis, vel Vicario Generali facultatem ſcriptam retulerint gratis concedendam.

Sed cùm ad Eccleſiam Infans adducitur, & cum licet, extra Eccleſiam baptizatus aſſeritur. Volumus, Parochum ab ipſamet Obſtetrice, vel alijs diligenter in-

inquirere, quæ verba, & qui actus singillatim adhibiti fuerint, vt exinde de veritate Sacramenti iudicari possit.

Ad hæc quàmuis Parochos Nostros satis instructos in ministrandis Sacramentis existimemus, non ab re tamen forè putamus, si nonnulla obseruanda commemoremus.

In primis, vt Baptizans verba formę consuetę distinctè proferat cum intentione efficiendi, quod Sancta tradidit Ecclesia.

Vt exactè notet, an quid superstitiosum baptizandi corpori adiectum fuerit, eodemquè temporis momento, quo aquam infundit, verba pronuntiet.

Vt baptizando nedum capillos, sed cutem abluat.

Vt humanum Monstrum figuram non exprimens hominis minimè admittat.

Quod si dubium oriretur, an rationem haberet, seu an viuens, sub conditione baptizetur, dicendo.

Si homo. Si viuens. Ego te baptizo.

Pariter si quis deferat plura capita humana, pluraquè pectora habeat, singulis capitibus aqua fundatur, eadem forma singulis repetita:

Et si capita, aut pectora non secernantur, vno absolute, ac rite baptizato, super alio quoquè aqua effundatur sub conditione.

Si homo, & non baptizatus. Ego te baptizo.

His tamen, & similibus portentis Nos priùs consulant, nisi periculum mortis aliud suadeat.

Vas, & labrum Baptismi, vel marmoreum, vel ęneũ

sit,

ſit, ſtanno intus illitum, habeatquè intermedium eiuſdem materiæ, itaut in vna parte iugiter aſſeruetur aqua infundenda, in aliam recidat infuſa, & per fiſtulam defluat in Sacrarium. Aqua illius quolibet ſaltem anno renouetur, ſi ob aliquam cauſam bis, Sabbatho nimirum Sancto, & in Vigilia Pentecoſtes, id fieri nequeat quolibet verò menſe expurgetur à ſordibus, quas aqua ſolet contrahere.

Locus Baptiſmi, cancellis aditum prohibentibus, ſit circumſeptus.

Vaſa, quæ Sacris Oleis continendis ſunt deſtinata, argentea ſint, vel ſtannea, locisquę diſtinctis ſeiuncta, & ne per errorem commutentur, vnumquodquè Vas perſpicuis characteribus indicet, quale ſit oleum, quod continet.

Aqua infuſa capiti, non recidat in fontem, ſed aut in Sacrarium per fiſtulam, aut in peluim ad vſum hunc deſtinatam ſtatim in idem Sacrarium proijcienda.

Non alius ſeruetur vſus, quam laudabilis huius Diœceſis, baptizandi per infuſionem aquæ.

Et quoniam ex antiquo Eccleſiæ inſtituto Patrini, ac Suſceptores adhibentur, eos non minores annis quattuordecim eſſe volumus gnaros earum rerum, quę Chriſtianum hominem decent, & tales, qui vitam cū honeſtate traducant.

Si quis autem Sacerdos homines publicè ac notoriè criminoſos, aut infamia notatos, ad hoc Miniſterium admiſerit, ſciat ſe grauiſſimis pænis à Nobis fore afficiendum.

Poſt

Post baptismum non deponantur vllo pacto baptizati super Altare, vt oblationibus, seu eleemosinis quodammodo redimantur, sub pænis arbitrio.

Non ignorent Patrini vtriusquè sexus eam in Baptismo contrahi Spiritualem cognationem, qua impediatur inter eos matrimonium, & cum eo quem de Sacro fonte leuauerint. Sicut enim (inquit Diuus Thomas) per carnalem propagationem homo accepit esse naturæ, ita per Sacramentum accepit esse spirituale gratiæ, & sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur, est homini naturale, in quantum est res quædam naturæ, ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione, est aliquo modo naturale alicui, in quantum est membrum Ecclesiæ.

Plures Patrini, aut Susceptores in Baptismo non admittantur, sed vnus tantum, siuè vir, siuè fæmina, vel duo ad summum, vir, scilicet, & mulier. Masculi inermes accedant, vtriquè sine vlla pompa, sine vllo apparatu, ne quod verbis ædificant, Infantum nomine Diaboli pompis renunciare profitentes re ipsa euertere videantur.

Cerei cum Infante ad Baptismum ornati non deferantur, sed delati Sacro ritu inflammentur, & ad Ecclesiæ vsum à Baptizante retineantur, quod & de linteolis, qui abstergendo Infantum Capiti adhibentur, dictum volumus. Sale, quod ad vsum Sacri Baptismi in Ecclesia retineri iubemus, vtatur Parochus baptizans, reiecto deforis illato, neque alijs illud commodet.

Ethni-

Ethnicorum, & damnatorum nomina baptizandis imponi nullo modo permittat, & ſinat.

Sacerdotes baptizantes curent Sanctorum nominibus vocari baptizandos, vt inde ad vitæ ſanctitatem alliciantur.

Habeat Parochus proprium librum, in quo nomina, & cognomina Baptizatorum, Parentum, ac ſuſceptorum deſcribantur iuxta Conſtitutiones à Prędeceſſoribus Noſtris promulgatas, & Decreta Noſtra, in Viſitatione præſertim Edita.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

SIcut ex gemino liquore, oleo ſcilicet, & balſamo materia conſtat Sacramenti confirmationis, quę ab Epiſcopo ſolemni ritu conſecrata, Chriſma appellatur, ita in olei pinguedine plenitudinem gratiæ, quæ a Chriſti capite in alios fluit, ac redundat, agnoſcimus, & in balſami odore iucundiſſimo virtutum ſuauitatem ex Sacramento egredientium, imputreſcentiſquè gratiæ donum.

In ſuperliminari verò fronte, videlicet domus noſtræ terreſtris, Sacri huius Chriſmatis imprimit vnctionem, Conſecrata manus Epiſcopi; qui tanti myſterij eſt miniſter, ſuper cuius caput (ait Petrus Damianus) fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius ditioni ſubditur Sacerdotalis multitudo.

Hoc itaquè Sacramento nouo cũmulantur homines beneficio, vt in Chriſtianam militiam adſcripti, for-

fortiter armati, firmius ſuis hoſtibus obſiſtant, faciliuſquè pro fide pericula ſubire poſſint, imo etiam gaudentes, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Hinc fronti Crucis ſignum imprimitur, vt quæ pudoris eſt ſedes, ſit etiam fortitudinis.

Hinc maxilla cęditur, vt infracto animo in malorum Demonum, hominumquè conflictu fideles perdurent, vt viſibiles inimicos etiam diligere aſſueſcant.

Intelligantquè à Chriſtiano milite, pietatis non furoris arma eſſe tractanda ſub eo Duce, qui palmis faciem non negauit, & pro ſe crucifigentibus Deum Patrem exorauit.

Ita in Baptiſmate, ſpiritus datur ad veniam, in confirmatione ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus præmunimur.

Verum vbi Sanctum hoc Sacramentum ſuſcipiendum erit, propoſito Edicto, dies, locuſquè ſtatuendus erit, vt conuenire populus poſſit. Tum Parochus quiſquè ſuum gregem de ea re admonebit, & de ipſius Sacramenti vi, & ratione edifferet.

Et ſi ab exteris, ſeu aduenis, qui in Diœceſi domicilium non habuerint, confirmatio petatur, Parochi de illorum moribus, ætate, ac alijs neceſſarijs prius certiores reddantur, & an aliàs fuerint confirmati.

Et quamquam nulla ætas à ſuſcipiendo hoc Sacramento excludatur, tamen vſu recto receptum eſt, vt annus ſeptimus expectetur, quod ſi adultiore ætate quis ad illud acceſſerit, conuenit, vt prius per confeſ-

ſionem, ac pœnitentiam à peccatis expietur.

Verum ſi ab ægrotis expetatur, intelligant Nos benignè illos inuiſuros,& qua decet charitate hoc Sacramento confirmaturos.

Confirmandi, vt animo, ſic corpore mundo, & curato, nullo cultu ornati, ſed ſimplici, armiſquè depoſitis adulti ad confirmationem accedant.

Fæminæ quoquè cincinnos tollant, & ab ornamentis abſtineant.

Omnes caput mundent, crineſquè à fronte remoueant.

Patrini aduocentur, iuxta Sanctum Eccleſiæ inſtitutum, ſic tamen vt nec fæminis mares, nec maribus fęminæ officium præſtent.

Nullus præſentet plures, quam vnum, aut alterum, & non ſit patrinus in confirmatione is, qui tenuit eundem in Baptiſmo.

Quem Epiſcopo confirmandum obtulerint, dexteram manum dextro eius humero imponant, nec dimittant prius, quam à Sacerdote frons abſterſa fuerit, & à Clerico in Sacris, abluta.

Arma & ipſi Patrini deponant, nec ſuſceptis munera præbeant.

Intelligant omnes, ſpirituali cognatione iungi, quemadmodum fit in Baptiſmo.

Poſt ſuſceptum Sacramentum, Confirmati, non niſi data ſolemni benedictione diſcedant.

Deſcribantur deniquè nomina, & cognomina Confirmatorum, & parentum eorum, nec non Patrinorum in li-

in libro apud Parochum seruando.

Patres familias quoquè liberorum, & familiarium, qui confirmabuntur, nomina, & cognomina, diemq; Confirmationis describant.

DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

QVemadmodum ex omnibus Iesu Christi Domini misterijs, & adiumentis, quæ ad huius mortalis vitæ præsidium, & æternæ beatitatem consequendam reliquit, nullum cum Sancto Eucharistiæ Sacramento, aut dignitate, aut fructu conferendum est, ita nulla dicendi facundia, aut eius virtus prædicari, aut celsitudo explicari potest.

Sufficiat autem sub fide, ac silentio vnumquemquè recogitare, hoc esse maximum illud, & excelsum Christi corporis donum, in quo Deus se totum integrè nobis tradidit, vt in nobis in totum permaneret, in quo est tota Dei plenitudo, & saturitas, ex quo nutritus homo, non in se manet, sed in Deo, & quasi exutus hominem se transfert in Deum, in quo & Angeli sua obsequia, & Deus sua omnia posuit beneficia, in quo deniquè, quod solis Angelis concessum videri poterat, id nobis etiam insigni liberalitate donatum agnoscimus, vt conuiuamus cum Christo, non solum in præsens animæ gaudium, & alimentum, sed in pignus futuræ gloriæ.

In hoc conficiendo Sacramento, quamuis gemina consecratio panis scilicet, & vini, à Sacerdote adhi-

beatur, quia ſic Domini paſſio magis exprimitur, per quam, & diuiſus à corpore ſanguis exiuit, tamen vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine receptum eſt, Laicis ſub ſpecie panis tantum miniſtrari, ſic enim, & periculum (præmultitudine) effundendi ſanguinis, euitatur, & illorum hæreſis reuincitur, qui totum eſſe ſub ſolius panis ſpecie Chriſtum negabant.

Verum vt Populus commodè, & condignè hoc Sacramento potiatur; die Paſchæ, atquè alijs celebrioribus feſtis, oblonga ſcamna à Parochis extendantur, lineis velis, mundiſquè mappis contecta ad quæ quiſquè genibus conſiſtere poſſit.

Si fortè Epiſcopus Sacro illo munere fungatur, ſinguli prius eius porrectam manum oſculentur, quam hoſtiam ſumant. Sacerdos ſuperpellicio, ac ſtola indutus ſit, Clerici ſeruientes ſuperpellicio. Cereæ faces duæ ſaltem ardeant.

Ambitu expleto, aſcendat ad Altare Sacerdos, & ad Populum conuerſus, quibus miniſtrauit benedicat, vt in Rituali Romano.

Quoties Euchariſtia præbenda erit Eccleſiaſticis, prope Altare magis quam laicis miniſtretur.

Omnes pariter ſuperpellicio induantur, & Sacerdotes ſtolam prætere a adhibeant.

Nemo item accedat ad hoc Sacramentum peccati mortiferi conſcius, & non niſi aliqua ante expleta oratione, vel meditatione Sacra.

Nullus aut gladio ſuccinctus, aut telo, ferroquè armatus.

Viri

Viri omnem ornatum, & cultum; fœminæ fucos ſuos, & calamiſtra abijciant, velatum ſit illorum pectus, velatum caput, nullæ aliæ in eis appareant vniones, torques, aut lapilli, quam munditiæ, deuotionis, ac modeſtiæ per omnia ad religionem compoſitę.

Fœminis etiam ſeorſum à viris, ſi commodè fieri poteſt, miniſtretur.

Nec pueri admittantur, niſi expleuerint annum duodecimum, ſaluo tamen Parochi, vel Confeſſarij arbitrio, ſpectato cuiuſquè ingenio, captu ac pietate.

Excommunicatis denunciatis, aut notorijs percuſſoribus Clericorum, Meretricibus, Concubinarijs, Blaſphemis, alijſquè palam per ſcelera cum ſcandalo vitam traducentibus denegetur.

Ad hæc vnuſquiſque, ſub pœnis à iure ſancitis in ſua Parochiali Eccleſia quolibet anno à Dominica Palmarum, vſquè ad Dominicam in Albis incluſiuè Sanctam ſumat Euchariſtiam.

Et quidem ieiunus à dimidia antecedẽtis noctis, niſi lethalis morbi vis vrgeat.

Satis enim panis hic, ſi dignè manducetur impinguat, non ventrem, ſed mentem.

Pereat phyſicale nutrimentum (ait D. Bernardus) cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis, qui neſcit putreſcere, tendenſquè in excelſum, illuc reducit hominem, vnde traxit imaginem.

Abſit etiam, vt aliquis refugiat Sanctum hoc Sacramenti ferculum, vno hoc ſcilicet clariſſimo inditio extremam ruinam ſibi poteſt auſpicari.

Ta-

Talis ſiquidem abſtinentia læthalis.

Qui autem recumbit cum Domino in hac cæleſti menſa, viuet in æternum.

Præterea vt omnis in re tanta diligentia adhibeatur, volumus Parochos ſingulis annis Paſchate imminente, domos ſuæ Parochiæ circum ire, vultumquè ſui pecoris agnoſcere, ſtatumquè animarum perſpicere, nec non aptos ad confeſſionem, & communionem deſcribere, peractaquè communione ſchedulam impreſſam tituli Parochialis Eccleſiæ vnicuiquè conſignare.

Caueant autem Regulares, ne ipſo Dominicæ Reſurrectionis die, pro adimplendo Eccleſię pręcepto, Sacramentum miniſtrent, niſi Eccleſia iunctam habeat curam animarum, ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij, Tunc verò Regularis Parochus, quæ ſuperius relata ſunt præſtet.

Nullus quoquè, ſiue Sæcularis, ſiue Regularis palam exponat Sacramentum extra Tabernaculum, etiã ob cauſam publicam, ſine licentia noſtra.

Non ſeruetur in aliqua Eccleſia, vel Oratorio extra Parochiales, niſi de licentia S. Pontificis.

Si fiat concio, Sacramento in Altari expoſito, audiant fideles aperto capite, & Sacramentum velo tegatur.

Ad hæc fideles omnes poſt ſuſceptum Sacramentũ ad menſam minimè feſtinent, ſed piè, gratoquè animo ſpatium ſibi ſumant ad recolendam tanti beneficij magnitudinem.

Non

Non prætereat amor Diuinus, ne Diuina quoquè largitas deficiat, teneat anima, quem dilexit, & adhuc diligat, vt possit tenere.

Deniquè Parochus in hoc Sacro ministerio omnis sordidæ cupiditatis suspicionem euitabit; peluiculas minimè proponat, nec locum aliquem eleęmosine pręparet, itaut his veluti tacitis monitionibus, populus ad stipem conferendam inuitetur.

Redemit nos Deus sine auro, & argento in sanguine suo, & vnius Amoris erga nos studio admiranda clementia, & liberalitate, Sanctissimi corporis sui cibum & potum, in eoquè omnia nobis donauit.

Cum hoc Sacramentum adęgrotos deferendũ fuerit, ipsemet Parochus ad eosdem visendum moram sibi non faciat, & de curanda anima, vt inde salus corporis redeat, prudenter, & suauiter agat, & si periculosè, ac præcipiti spe laborantem inuenerit, vt humanis curis posthabitis, vel quamprimum peractis, ad cęlestium cogitationem se totum conuertat, admonebit.

Tunc penitentiæ Sacramento diligenter expiatum ab omnibus peccatis etiã resęruatis, & ab Ecclesiasticis censuris absoluat, fide tamen accepta, si conualuerit, quod debet, impleturum, eosquè aditurum quibus censuræ sunt reseruatæ.

Deinde pia oratione ægrum soletur, horteturquè, vt ad Sanctissimum Sacramentum suscipiendum seipsum comparet, vt salutari viatico instructus ad ęternam patriam, prosperum iter perficiat.

Atquè inde ad eum animo adhunc modum præparato

rato Sanctam Euchariſtiam afferat.

Adſit autèm omninò vmbella cum luminibus, campanula pulſetur.

Et ipſe Sacerdos ſaltem in Ciuitate, adhibeat pluuiale.

Duæ ferantur particulæ, altera pro reditu, niſi loci diſtantia, aut alia cauſa aliud ſuadeat.

Non deferatur ad ægrotos Sacramentum, vt adorent tantum.

Domeſtici curent Domum apparari, vel Saltem cubiculum, vbi Infirmus decumbit, omni ſorde, ac prophanis imaginibus ablatis.

Familia, cum luminibus adueniente Sacramento occurrat, illudquè venerata, antecedat, poſtea Sacerdos domum ingreſſus, corporali in menſa explicato, ac depoſita Pixide, Sacram hoſtiam præuijs precibus præbeat ægro, & conſuetis poſtea habitis orationibus eodem ordine, quo venerat, ad Eccleſiam reuertatur.

Ad hęc hortamur Sodales Societatis Corporis Chriſti, & fideles omnes, præſertimquè nobiles viros, vt pulſata Campana ad obſequia erga tantum Sacramẽtum properent aperto capite, & cum accenſis luminibus (ſi fieri poterit)

Qui equo, vel Rheda vehuntur, ſtatim viſo Sacramento deſiliant, & ſequantur, vel ſaltem procumbãt genibus, donec Sacerdos præterierit.

Tandem vt omnia, quæ ad hoc Diuinum Sacramentum pertinent attingamus, in quacumque Eccle-

ſia

ſia Parochiali, volumus Euchariſtiam aſſiduè ſeruari in aurea, vel argentea Pixide intus deaurata.

E regione colluceat perpetuò Lychnus ex oleo puriſſimo alendus.

Præter Pixidem Tabernaculum aliud geſtatorium habeat, quod exponendæ Sacræ hoſtiæ vſui inſeruiat pellucido, & nitido vitro circumdatum.

Eccleſiæ Tabernaculum panno ſerico veſtiatur ritu Romano.

Clauis ſit penes Rectorem tantum.

Ibi nihil aliud aſſeruetur.

Renouentur particulæ octauo quoq; die Æſtate, Hyeme verò xv, & quinquè ſaltem ſint in Pixide, non plures decem.

Eo anni die, quo ſolemnitas Sacramenti huius ab Eccleſia Vniuerſa celebratur, vt omnes aliqua iuſta cauſa non impediti Sacris proceſſionibus interſint pij, deuoti, humiles, ex intimis præcordijs hortamur.

Prophanæ fabulæ, & imagines, ac ludrica omnia nitroſi pulueris præſertim, eo die, ac tempore pænitus omittantur.

Ornentur verò viæ omnes aulęis, & tāpetis decentibus, floribuſque aſpergantur, Pannis coeleſtenſis ſuperiora contegantur, vbi id fieri commode poterit.

DE SACRIFICIO MISSÆ

IN qua nocte tradebatur Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, accepit panem, & gratias agens, fregit,

 & di-

& dixit: accipite & manducate, hoc eſt Corpus meũ, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem.

Hoc igitur eſt myſterium fidei, & amoris, quod ſubobſcure, ac veluti inter tenebras comprehenditur ſuis quamquam irradians nitoribus.

Porro ſicuti tantum Sacrificium ad lenitatem, & miſericordiam Dei flectendam, & ad memoriam anteactæ Paſſionis Domini ſeruandam neceſſarium fuit, ſic, & Sacri Ordinis inſtitutum; ne deeſſent miniſtri, qui illud ritè, caſteque perficerent, ſine quibus peragi non poteſt.

Hęc Sacerdotum ita eminet dignitas, vt quod nulli Regum, nulli mortalium, nulli Angelici Ordinis creaturæ conſecrandi & offerendi Diuinam Hoſtiam ius datur, id ijs tantum concedatur.

Et ſi quis forte eò inſaniæ & audaciæ perueniat, vt minimè promotus miſſam celebret, dummodo vigeſimum ætatis annum compleuerit, Curiæ ſæculari traditus ſubijcietur pænis inflictis à varijs Summorum Pontificum Conſtitutionibus, ac præſertim Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Octaui.

Ex hoc etiam recogitent Sacerdotes ſuę dignitatis, & nobilitatis ſpeciem, & ad hanc cæleſtem menſam vocati, omni ignobilitate culpæ, ſordiumquè, ac lucri depoſita, ſummo honore, ingentiquè gloria ſe candidatos agnoſcant (iuxta illud Apoſtoli) ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, (& benè Diuus Hieronymus) comedentes, & bibentes Corpus, & Sanguinem

nem Christi vertuntur in Principes Ecclesiæ.

Videant hinc quoque, qua charitate, fide, & solertia Sacerdotis munus subire debeant, caueantquè, ne in eis impleatur Prophetæ dictum. Sacerdotes contaminant sancta, reprobant legem. Vnde mereantur Dominum indignatum audire. Vos Sacerdotes, qui fallitis Nomen meum offerentes ad Altare meum panem pollutum.

Ad tanti igitur officij explicandas partes manum plenam admouentes, ne Pastorali nostro muneri in re maximi momenti defuisse videamur.

Præstare non parum iudicamus, vt antequam Sacerdos ad hoc magnum conuiuium accedat, sacra se, prius expiet confessione, quod peccatorum mortalium reo necessarium est, necesse est enim (inquit Diuus Gregorius) vt cum hæc agimus, Nos metipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia, qui Passionis Dominicæ mysteria celebramus, quod agimus, imitari debemus.

Sciant autem fideles, nihil obesse Sacramentorum virtuti, Sacerdotis improbitatem. Absit hoc à fide Catholica (ait Diuus Ciprianus) Vna nobis fides, vnus Dominus; per quemcumquè fiat, idem semper est Sacramentum, suumq; Dei Omnipotentia retinet effectum. Nequè enim gloriamur in Paulo, sed in Cruce Domini Nostri Iesu Christi, cuius virtus omnia peragit Sacramenta. aliud est, baptizari per ministerium, aliud per potestatem. Baptisma tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur. Obsunt quidem

acrSamenta indignè tractantibus, prosunt tamen semper dignè sumentibus.

Expiatis peccatis, corporis etiam curam habeat, vt cultum, & munditiam exterius referat.

Caueat autem pręcipue, vt manus sint lotæ, & purgatæ, nè lutulenti sint calcei, vt vestis ad talos vsquè dimittatur, vt ieiunus ad sacrificandum accedat iuxta Sanctum Ecclesiæ præceptum.

Deponat annulum, quicumquè ille sit, siue Doctor, siue Canonicus, siue Prothonotarius Apostolicus.

A' Pileolo quoquè abstineat, nisi à Summo Pontifice facultatem obtinuerit, & tunc deponat à consecratione vsque ad sumptionem sanguinis.

Deinde Sacerdotalibus vestibus, non ad Altare, sed in Sacristia congruenter, & decore corpori aptatis, modesto cultu, incessu graui exeat ad celebrandum, & ad Altare perueniens, missam ea, qua decet, actionis grauitate, & religione celebret, memor semper, nullum esse cultum, nullum ritum, qui non aliqua recolendæ vitæ, & Passionis Christi mysteria referat.

Nunquam autem obliuiscatur in ea esse mente, & voluntate, vt id agere, & conficere velit, quod Ecclesia agi, & confici instituit.

In consecrando autem præsertim eius debet esse consilij, vt illum panem, illudquè vinum in verum Christi Corpus, & in verum sanguinem vertat, eodem prorsus modo, quo Dominus Iesus nobili illa, ac suprema Cœna vertit, & præbuit Discipulis suis.

In-

Inter missam quoquè, nec alloquatur aliquem, nec audiat, alio ne oculos aueitat, aut mentem; legentem nulla motio capitis, nulla actio, aut volutatio manuum, nullus corporis gestus deformet, nec molestè remoretur, nec verba inuoluat indecorè. Vox non sit elata nimis & concita, sed pressior, sonans grauiter, & religiose.

Et quod ad audientes missam pertinet. Nullus audeat imperio, aut minis Sacrificantem adigere, vt ad Altare consistens, incipiendi Sacri tempus differat, aut ceptum abrumpat, hic enim si Clericus fuerit, Ecclesiastici beneficij, si quod habet, fructibus priuetur ad decennium, si non habet, ne habere quidem per quinquennium possit; si laicus, eum statim re ipsa excommunicatum decernimus.

Nemo etiam audeat Sacro interesse, nisi aperto capite; submissis genibus, & cum silentio.

Nullus propius, quam par sit, ad Altare, & Sacerdotem accedat. Nemo contra, ita longe absistat, vt ne audire vocem precantis possit, quasi sacrificio præsens non esset.

Multo minus extra Ecclesiam vel in foribus, nisi necessitate subsistat, & tandem ante minimè discedat, quam Euangelium, quod vltimum pronunciatur, Sacerdos absoluerit.

Illorum demum morem damnamus, qui procaciter, & irreligiose intersunt huic sacrificio, & non solum colloquijs inanibus, sed ludicris, ac turpibus tempus illud conterunt, quo peccatorũ suorum veniam poscere deberent. Hi

Hi ſciant, ſe Eccleſiæ præceptum non implere, & grauius peccare, & Nos de hoc peſſimo hominum genere commonefacti pro iure Noſtræ poteſtatis aduerſus eos ſeuerè animaduertemus.

Præterea interdicti, & notorij Clericorum percuſſores, Iudæi, & Infideles omnes abire omninò iubeantur & à Sacris diſcedere.

Sclopis quoquè, & haſtis armati procul abſint, aut talia arma extra Eccleſiam deponant.

Poſtremò, quoniam non ignoramus, Sacerdotes quandoquè à celebrando abſtinere debere, præcipue eos miſſam celebrare vetamus, quoties ita ſe habeãt.

Scilicet ſi Criminoſi fuerint, nec priorem vitam nouis correxerint moribus.

Si peregrini fuerint, nec ab Epiſcopo ſuo litteras attulerint, & à Vicario Noſtro facultatem acceperint, itaut nec in Eccleſijs Regularium celebrare poſſint.

Similiter, & noui Sacerdotes prius quam de eis Cæremoniarum magiſter retulerit, quod ſatis inſtructi, & verſati fuerint.

Volumus autem, vt cuncti, qui Sacerdotes ritè deſignabuntur, antequam Sacrum fecerint, domi, aut apud probatiſſimos Religioſos aliquot dies ſe ſe piè contineant, totiuſq; vitæ labes accurate confeſſi excutiant.

In Eccleſijs pariter Sanctimonialium nullus celebrabit ſine Noſtra, aut Vicarij Generalis ſcripta licentia.

Nec.

Nec pariter in Sacellis, seu Oratorijs priuatorum sine auctoritate Apostolica.

Demum nullus audeat (etiam Regularis) celebrare super Altaribus in aperto constitutis, seu in Claustris, vel alijs locis, ad id a Nobis non deputatis.

Et quod pertinet ad onera celebrationis Missarum, seruentur Decreta Sacrę Congregationis Concilij, auctoritate Sanctissimi D. Nostri Vrbani Octaui edita, ac promulgata die xi. Iunij 1625.

DE PÆNITENTIÆ SACRAMENTO.

PÆnitentia prout est detestatio offensę erga Deum, etiam ante Christi aduentum omnibus necessaria fuit, vt & hodie adultis, qui ante Baptismum grauiter peccarunt.

Sed prout est Sacramentũ à Christo Domino institutum in remissionem peccatorum ad solos fideles pertinet, quos Dominus Iesus Sacro Baptismatis lauacro regenerauit, si postea tamen crimine aliquo contaminati sunt.

Sic multiplex Dei misericordia, humanis voluit lapsibus subuenire, vt mediator Dei, & hominum homo esset, qui nostris sciret calamitatibus compati, suoque iudicio remissionem peccatorum nobis concedere.

Contritus tamen, vel attritus esse debet Pænitens, cum dolore de peccatis præteritis, & cum proposito vitandi futura, itaut habeat odium, & displicentiam

pec-

peccati super omnia detestabilis, quatenus illud Diuinam offendit Maiestatem, & Bonitatem.

Sic Deus expectat lacrymas, vt tribuat oscula, expectat dolorem, vt profundat pietatem.

Non ad alios, quam ad Episcopos, & Sacerdotes, hoc clauium ministerium extenditur, etiamsi peccato mortali teneantur; operantur enim per virtutem Spiritus Sancti, tanquam Christi Ministri, recteq; remittendi peccata, functionem exercent.

Hi tamen siuè Sæculares, siuè Regulares à Nobis examinandi, & approbandi erunt.

Per Litteras, aut per Internuntium à peccatis absentem absoluere non audeant.

Cum ad præsentis examen accedunt, obseruent præ omnibus. an Pænitens aliquo excommunicationis vinculo constrictus sit, & à quo.

An verè sit contritus, & ad satisfactionem paratus.

An eius peccata sint ex reseruatis Summo Pontifici, vel Nobis.

Adeuntem non desinant fiducia adiuuare ad sua crimina apertè patefacienda.

Nullum conuitijs abigant, sed Diuinæ Misericordię magnitudine animos erigant, & solentur.

Studeant, vt à corde humiliato, & compuncto confessionem accipiant.

Non ora sonantia, sed cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. In hoc fructu pænitentia cognoscitur.

Cum Principibus, & Potentatibus suauitatem (si res-

res postulet) cum seueritate misceant, vt per suauitatis oleum minus sentiatur vulnus à seueritatis ferro inferendum.

Sic enim Nathanus Dauidem obiurgando sanauit.

Demum auditis omnibus, peccatorum dolorem incutiant, criminum turpitudinem prudenter detegant, omnia animæ vulnera aperiant, satisfactionem rei, vel existimationis alienæ (si res exigat) imponant, & tamdem cum absolutione dimittant, imposita priùs, iuxta qualitatem culpæ, pænitentia.

Quòd si aliquis videatur ob culparum grauitatem, vel aliam causam idoneam non statim ad perfectam pænitentiam recipiendus, hunc Confessarius blandè soletur in Domino, & hortetur, etiam ad ieiunium, eleemosinas, & alia pietatis opera, vt in viam mereatur redire iustitiæ.

In rudibus, & imperitis audiendis maius studium adhibeant (& multo magis in fæminis) quorum omnium inscitiæ, & infirmitati, quantum possunt, subueniant, aptatis exhortationibus eos ad confitendum alliciant circumstantias peccati, non tamen curiosè exquirant, loquacitatem comprimant, & tandem demissis ad terram, vel in cælum elatis oculis, auribus solum intentis, patienter confessionem ad finem traducant; Et omninò mulieres nunquam audiant ante ortum, & post occasum solis.

Aliena crimina numquam detegant, sed venenatos peccatorum serpentes occidant, & manducent.

Sed nec audeant ad turpia sollicitare, siuè secum,

 siuè

siuè cum aliis, siuè ante, siuè immediatè post confessionem, aut occasione confessionis, vel extra confessionem, vel in loco confessionis, sub pœnis inflictis à Constitutionibus Pij Quarti, & Gregorij Decimiquinti, quarum tenores memoriæ teneant, & rectè custodiant.

Quicumque criminis libidinosi, rapinæ, furti notabilis, abortus, homicidij, atrociorumque delictorum (quod absit) socius fuerit, aut quoquo modo particeps, sciat sibi esse interdictum munus audiendi illos, quos habuerit socios culpæ.

Nullas iniungat pœnitentias, ex quibus ipse lucrum aliquod, vel sui percipere possint, & quoties incertis restitutio esset facienda, rem Nobis deferat, si summa excedat duorum aureorum pretium.

Multo minus applicet sibi pecuniariam pœnam.

Confessionali affixæ maneant Bulla, quæ quotannis à Summo Pontifice in die Cœnæ Domini publicatur, & Tabella Casuum Reseruatorum.

Crates eorumdem Confessionalium minutim sint perforatæ, & supra scabellum Imago aliqua adsit Crucifixi, cuius aspectu ad dolorem, & pietatem Pœnitens excitetur.

Sacerdos sacris vestibus pro cuiuscumq; Ordinis ratione indutus sit, habitu chorali si Regularis, Stola, & superpelliceo, si secularis.

Munera etiam sponte oblata, quantulacumquè sint, non accipiat, vel ante Confessionem, vel in actu Confessionis.

In-

In Domibus priuatis ſanos corpore non audiat in confeſſione, cuiuſcunque ſint gradus, & prærogatiuæ.

Si ab infirmis confeſſiones accipiat, ſchedulam ſcriptam in teſtimonium peractæ confeſſionis Pænitenti tradat, Parocho, & Medico deinde exhibendam.

Caueat quempiam abſoluere ab vllo ex caſibus in Bulla in die Cænæ Domini legi ſolita contentis, vel alijs quomodocumque Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, aut in futurum per Summum Pontificem pro tempore reſeruandis.

Prout nec etiam à caſibus, quos Nos hactenus reſeruauimus, vel reſeruabimus, nullo etiam caſu neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, aut ſpeciali Summi Pontificis, vel Noſtra in caſibus Nobis reſeruatis impetrata licentia; ſub pœnis de quibus in Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum.

Amplius quęlibet Parochialis habeat vnum ſaltem Confeſſionale in locis conſpicuis; Archipresbyteralis, ac Plebana duo; Oratoria priuata nullum, niſi de licentia Noſtra, vel Vicarij Generalis in ſcriptis.

Deniquè Confeſſarij ſæculares interſint lectionibus, & conferentijs Caſuum.

Regulares in ſuis Monaſterijs idemmet ſtudium ſedulò exerceant.

Fideles Noſtri Sanctum hoc Pęnitentię Sacramentum, veluti ſecundam de naufragio Tabulam arripiant.

Timeant liberati, rurſus delinquere.

Nullus fit deterior, quia Deus melior, nec homo peccet, quod Deus ignoscat.

Renouata veluti animi ætate, sedeant cum Angelis super lapide sepulchri, nesciatquè amplius resurrectio senectutem peccati.

CASVS, ET CENSVRÆ RESERVATÆ.

1 Blasphemia quælibet hæreticalis, & non hæreticalis ex consuetudine prolata.

2 Adoratio Dæmonis, vel inuocatio eius expressa; Abusus Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel rerum Sacrarum, ad magicas artes, vel Veneficia, superstitiones.

3 Sodomia actiua, & passiua, nec non bestialitas, etiam non consumatæ.

4 Incestus in primo, vel secundo consanguinitatis, aut in primo affinitatis gradu; & quilibet carnalis contactus cum filia spirituali, etiam suscepta in Baptismo, & Confirmatione; & pariter cum Parochiana habitus à proprio Parocho, seu Capellano, vel œconomo, curam animarum exercentibus.

5 Homicidium voluntarium quòad mandantes, & exequentes: Abortus de industria factus, vel procuratus, filiorum item suffocatio; si abortus sit fœtus animati, adnexam habet excommunicationem à Gregorio XIV. Ordinario reseruatam.

6 Inobedientia laicorum contra Edicti prohibitionem accedentium ad moniales, vel ad fæminas sęculares

lares in monasterijs viuentes sine licentia, vel cum licentia subreptitia, aut obreptitia. Eadem verò inobedientia prohibita est sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda à Clericis non existentibus in Sacris; Ab existentibus in Sacris sub pœna suspensionis à Diuinis ipso etiam facto incurrenda, & vtraquè specialiter est reseruata; Accessus autem per se, vel per alium, siuè laicorum, siuè Clericorum ad malum finem contra Castitatem quoquo modo exterius manifestatum. Allocutio denique sub quouis prætextu apertis ianuis, vel fenestrellis non habentibus crates, prohibita est sub excommunicatione ab omnibus, siue laicis, siue Clericis contrhenda, ipso facto eodemquè modo reseruata.

7 Quælibet carnalis commixtio, etiam non consumata, & quilibet alius turpis contactus cum Iudæis, nec non omnis cum eisdem communicatio in qualibet superstitione.

8 Omissio Notariorum non denunciantium infra tres menses legata pia facta vsquè ad diem huius publicationis. Et negligentia seu mora ea soluendi infra annum. Quoad legata vero pia facienda à die huius publicationis, ea denuncientur infra tres menses, soluanturquè infra annum, sub eadem reseruatione.

Denunciatio autem fiat in Diœcesi extra Ciuitatem coram Vicarijs foraneis, qui eam subinde ad Vicarium Generalem nostrum transmittant in Episcopali Archiuio reponendam, in Ciuitate verò in act s Cancellarij Curiæ Episcopalis.

9 Ac-

9 Acceptio duplicis ſtipendij, ſeu eleemoſinæ pro vna miſſa.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

SAcramentum ordinis eſt illud, quo certi homines iuſta Religione ad Sacerdotium vocati accipiunt poteſtatem alia conficiendi, atquè exequendi Sacramenta, & quod Sacramentorum omnium maximum eſt, diuinam Hoſtiam conſecrandi, quæ quotidie in catholica immolatur Eccleſia.

Huius Sacramenti inſtituta à Chriſto Domino prodijſſe Sacræ tradunt ſcripturæ, cum in celebri illa Cęna, quam poſtremam Diſcipulis dedit, eos tradita conſecrandi poteſtate Sacerdotes creauit, à quibus inde in Vniuerſos idem ius Sacerdotij propagatum in æternum permanſurum conſtante fide tenendum eſt.

At verò, & ſi ordines ſeptem ſint numero, quatuor minores, ac tres maiores, vnum tamen omnes completum ſunt Sacramentum, quamuis non vna omnium ſit materia, & forma, ſed quę cuiquè ordini congruit, & aptatur.

Igitur ante ſtatuta tempora ordinibus initiandi, re prius ſapienter ſecum perpenſa, non vi alicuius, non minis, non alieno Imperio ſubacti, ſed ſponte ſua Nos adire debent, dequè ſua voluntate, & conſilio edocere, expoſcentibuſquè nobis animi, atquè ingenij rationem reddere.

Porrò antequam Sacro ordine initientur, eos vehementer hortamur, vt generali confeſſione totius vitæ

mi-

maculas eluere studeant.

Et ne vlterius necessaria testimonia vitę, doctrinę, facultatis, ac dispensationis deesse videantur, illa prius Vicario nostro Generali fideliter exhibeant.

Ad hæc Clerici non solum sęculares, sed & Regulares intra Diœcesis nostræ fines habitantes Superiorum suorum litteras proferant, manu, signoquè eorumdem consignatas, quibus suscipiendi Ordinis datam potestatem constet, & vitæ, doctrinæquè illorum testimonium.

Quod si aliqui ex alienis Diœcesibus aduenerint, dimissorias litteras à suis Episcopis Vicario nostro reddant, quibus, & de iusta ætate, & de explorata ingenij, morumq; facultate, de patrimonio, si ad eius titulum ordinandi sint, alijsquè necessarijs, ex instituto sacri Tridentini Concilij ratione certior fieri possit.

Regulares afferant pręterea testimonium authenticum, quod eorum Episcopus sit absens, vel non habiturus ordinationem, ex Decreto Clem. VIII. S. M.

Item in libello, qui ad ordines promouendos descriptos habet in Cancellaria nostra, sua quisque manu scribens affirmet, se sponte professionem solemnem emisisse, aut ratam habuisse, antequam Sacro ordine initientur.

Si egeant dispensatione interstitiorum, causa quidem afferatur à Pręlato Regularium. sed nostrum erit dispensare.

Et licet examinati à proprio Episcopo alienæ Diœcesis Clerici accedant, nouum tamen apud nos examen subibunt.

On-

Omninò verò ij Regulares, qui in nostra habitant Diœcesi, alium Episcopum non adeant, dum nos habituri sumus ordinationes.

Ex aduerso nemo audeat sine litteris dimissorialibus nostris extra Diœcesim aliquem ordinem suscipere, alias ab eiusdem exercitio sit ipso facto suspensus, qua suspensione durante, si in suscepto ordine administrauerit, sciat se fore Irregularem, & grauissimas arbitrio nostro pænas daturum.

Pęnas quoquè à Sacris Canonibus indictas patietur, qui sine approbatione nostra, aut falsis testimonijs, vel documentis productis, ad accipiendos ordines accesserit.

Sed, ne prætereamus vitia recensere, quæ ad Sacrum hunc ordinem suscipiendum obstare solent; declaramus illegitimè natum, vitiatum corpore, insigniter deformem, seruum, Amentem, epileptium, vsurarium, periurum, ebriosum, impudicum, criminosum solemniter, & publicè pænitentem, ætate à Sacri Trid. Concilij præfinita minorem, rudem, & ignarum, lapsum post ordinem, Peregrinum, & ignotum, bigamum, irregularem, censuris ligatum, ratiocinijs obligatum, non confirmatum, aliosquè omnes infamia notatos, ad Sacramentum hoc suscipiendum inhabiles esse.

Indignum est nimirum dare Deo, quod homo dedignatur accipere.

Et an vitia hæc promouendum dehonestent, vt facilius nobis innotescat, mandamus singulis Parochis,

vt cum indictas Ordinationes acceperint, nomina ordinandorum suæ Parochiæ, ex ipso Altari Populo promulgent, & quem quisque suscepturus est ordinem, indicent, vt si quempiam labe, aut animi vitio, vel corporis affectum intelligat, Christianæ Charitatis studio ad nos possit deferre.

Afferant & ipsi Ordinandi testimonium proprij Parochi, quo constet nomen eorum fuisse in Ecclesia publicè denunciatum, nec vllum legitimum impedimentum detectum fuisse.

Insuper, quia iuxta eiusdem Sacri Concilij Tridentini Sanctionem Ordinandi ad titulum Patrimonij non quidem accommodati, sed proprij & veri, certus redditus esse debet, & sufficiens, ne cum tanti Ordinis dedecore emendicare cogatur, ideo disponimus, vt annui fructus Patrimonij ascendant saltem ad scuta quinquaginta huius monetæ, qui ex frugiferis immobilibus, aut aliorum bonorum stabilium iuribus non etiam mobilibus, aut se mouentibus percipiantur, de quo redditu confici debeat apud Cancellarium nostrum publicum documentum testibus iuratis vallatum, qui de pacifica eiusdem possessione, & plena fructuum perceptione deponant.

Quod si Clericus falsum, aut fictum Patrimonium dixerit, vel exhibuerit, pœnam suspensionis patietur, & sciat se in excommunicationem latæ sententiæ incursurum.

Hoc ipsum Patrimonium nullo modo permutari, alienari, extingui, aut grauari poterit iuxta decretum

eiuſdem Sacri Concilij, niſi forte nobis conſtiterit ordinatum aliquod beneficium ſufficiens adeptum fuiſſe, aut aliunde habuiſſe vnde viuat, vel viuere poſſit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

VNuſquiſquè apud ſe ſtatuat, Sanctum hoc eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, à Diuo Iacobo Apoſtolo promulgatum, & à Patribus, & vniuerſa Eccleſia acceptum.

Concilij quoquè Tridentini decreto firmatum eſt, vt Anathema ſit, qui de extrema vnctione aliter ſentiat.

Nullus præterea ambigat, quin magnos, ac vberes fructus ritè, ac religiosè inunctis afferat extrema vnctio, non ſolum enim peccata animo abluit, eorumquè reliquias delet, ſed languorem animi leuat, morbumquè ipſum quandoquè depellit, inſigni virtute arma, & animum miniſtrat, quibus quiſq; poſtremum certamen, in mortis agone, cum antiquo, ac ſæuo hoſte inire, ſuſtinereque poſſit.

Et deniquè ſingulari beneficio diuinæ benignitatis fiduciam excitat, ne mortis expectatione perturbetur infirmus, ſed potius à mærore, & metu, ad hilaritatem, & conſtantiam reuocetur.

Ita hoc Sacramenti dono, omni depulſo timore, fixa in Deum fiducia, aut gloriosè morimur, aut non morimur. O igitur ſolemnis vnctio, ö liquor excellens,

lens, quo sanitas redditur, peccatum dimittitur, expellitur timor mortis, immittitur timor Domini.

Cæterum, si ægroti status permiserit, præparari eius animus, atquè expiari Sacra Confessione, & Communione debet.

Et quoniam ad grauiter ægrotantes Sacramentum hoc defertur, curare debebit Parochus, vt dum vigent sensus, & antequam vis maior ingruat, mentemquè eripiat, æger illud suscipiat; quamquam neq; ei negandum est, cuius mentem, & sensum morbus abstulerit, dummodo aut peruicax in malo animus antecedens, aut impænitentia non aduersetur.

Inopinato etiam casu deiectis extrema vnctio ministrabitur.

Aetate, senioq; confecti, qui sensim deficere videntur, si Parocho videbitur, hac Sacra vnctione procurari poterunt.

Sed nec saucijs neganda erit, nec Pueris vsum rationis hebentibus, & peccati capacibus.

Demúm inungi semper poterit, qui viuere certò creditur; mortuus autem minimè.

Ex aduerso nemini, cui integra sit valetudo, vnctio ministrabitur, etiamsi quoduis vitæ discrimen sit aditurus.

Pariter nec capite damnatis.

Item nec mulieribus in partu laborantibus, nec amentibus, aut furiosis, excommunicatis, aut interdictis, seu alijs qui sepultura Ecclesiastica de iure carere debent.

Amplius illæ corporis partes perungendæ erunt, in quibus sensuum nostrorum sedem natura posuisse videtur, oculi nimirum, aures, nares, os, manus, & pedes; renes deniquè, exceptis fæminis, quibus propter honestatem non vnguntur, aut ijs quibus potest in versione corporis mors contingere.

Vnctionis minister non alius, quam Sacerdos esse poterit, isquè proprius Parochus, qui verborum formulam à Catholica Ecclesia institutam in singulis membris perungendis seruabit.

Hic cum pura linea veste, ac violacea stola Olei ab Episcopo consecrati vasculum deferat, non intra sinum, aut intra manicas vestis abditum, sed serico in sacculo violacei coloris, serico funiculo collo ipsius appensum.

Comitem saltem vnum ex Clericis habeat, qui Sacri ritus libellum, vasculumquè aliud cum aqua benedicta ad ægrum aspergendum deferat, & Parocho ministranti necessariam operam præstet.

Accersitus Parochus moram non faciat, non vocatus etiam ad officij vigilet laborem, ne culpæ reus apud Deum fiat, & graues pænas a Nobis reposcat.

Imo, si viderit opus esse, vnà cum Viatico deferat secum etiam oleum Infirmorum.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

DE matrimonio acturi, qua parte Sacramentum est, valde optamus, vt primum, qui matrimonio

nio iungi voluerint, Deum confeſtim adeant, & conſulant, vt propitius, placatuſq; adſit. Vt ſcilicet, amor purus ſit nuptiarum in cauſa, non ſenſus; vt vxor eligatur, non dos; virtus, non ſpecies, vt frui liceat coniuge, non veluti mancipio, ſed comite, non vxore tantum, ſed matre filiorum, vt deniquè ſit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.

Poſt tantam deliberationem, gaudeant ſponſi, & grauibus periculis conſultum exiſtiment, ſiquidem matrimonium eſt etiam infirmitatis remedium, & noſtræ mortalitatis ſolatium, quod libenter, qui ſe non continet, celebrare debet, vt nulla aduerſario detur occaſio, vt nulla Deo ſubtrahatur oblatio.

Intelligant etiam ſponſi, vt ex mutuæ conſenſionis profeſſione matrimonium in ſua forma conſiſtit, ita inuariabili firmitate, vſque ad mortem produci. Aduentu etenim Domini Noſtri Ieſu Chriſti hęc maritalis copula, & mutauit naturam, & finem, vtrumque tamen nacta nobiliorem; nam hoc tempore non ſibi ſolum Coniuges quærunt ſobolem, ſed etiam Deo placentem, non leui nexu, & præcipiti amore connubium, ſed graui, & indiſſolubili, qualis eſt Chriſti Domini cum Eccleſia perpetuus amor, æterna coniunctio.

Præterea non diuturna abſentia, non diſſidium, & odium, non violata adulterio fides, non hæreſis, & deſertus Catholicæ pietatis cultus, Matrimonium rite initum, concubituq; firmatum infringere poteſt,

quod

quod ore Domini Nostri Iesu Christi sit pronunciata sententia (quod Deus coniunxit, homo non separet) Iustis tamen ex causis licet coniugibus, nec eodem cubare lecto, nec sub eodem tecto habitare, si tamen id eis, recognita à Iudice Ecclesiastico permittatur.

Matrimonij igitur iungendi vis omnis in consensu vtriusque sponsi posita est, ita tamen, vt non vi, metuquè extortus sit, sed à libera eorum voluntate fluat, quæ verbis in præsens tempus exprimatur, imo huius Sacramenti gratia, non in benedictione, nec in concubitu, sed in mutuo hoc consensu percipitur.

Hinc intelligant omnes, qualem sustineant culpam, qui paterna potestate, vi, aut minis, filios ad matrimonium cogunt; qua etiam cautione agere debeant Parentes, vt filiæ cum sponso nulla violentia quæsito in amplexum veniant.

Sicuti autem in hoc parentes damnamus, sic eos commendamus filios, qui in nuptijs celebrandis parentum auctoritati, & officijs deferunt.

Cæterum non solum in sponsis desideratur consensus ab omni vi, metuq; alienus, sed etiam ab omni fraude. Sapientissimi enim Oecumenici Tridentini Concilij Patres, nequis ob ætatis imbecillitatem deciperetur, clandestina matrimonia vetuerunt; pleriquè nimirum, aut nuptiarum spe, aut promissis falsis cum data, receptauè fide se se iunxissent, matrimonij tamen fidem fallebant.

Ne quis ergo improuidè ad coniugium rueret, decreuerunt rata illa non esse imposterum connubia, quę aliter,

aliter, quam à Parocho presente, aut Parochi eiusdem, vel Episcopi assensu, altero Sacerdote præsente, duobusquè, aut tribus testibus inita fuerint. Hoc igitur à Concilio sapientissimè prouisum Parochi omnes nostræ Diœcesis omnino obseruent.

Denunciationes requisitas nunquam aut omninò, aut ex parte omittant, nisi Nobis consultis, vel Vicario Nostro Generali.

Et in toto matrimonij negocio à Concilij Tridentini præscriptis non recedant, & ita in omnibus se gerant, ne quid dolosè, aut negligenter egisse conuincantur.

Amplius nec prætermittant de Sponsorum conditione explorare, an scilicet iusta sit illorum ætas, an consensus Parentum adsit, vel obsit, an aduenæ sint, vel Incolæ, an calleant saltem magis necesaria fidei rudimenta, an post primas nuptias de morte coniugis certus sit nuntius, aut legitima probatio, an aliquod tamdem impedimentum resistat.

His pensatis, si aliqua orietur dubitatio ad Nos cuncta fideliter referant.

Et quoniam non desunt aliquando nefarij homines, qui vbiquè vagantes, quam in vno loco sibi iunxerant vxorem, deserunt, aliamq; in alio cum animæ suæ pernicie ducunt, ne id contingat, sicquè Poligamiæ crimen euitetur, Volumus vagos huiusmodi, peregrinos, & aduenas ad matrimonium minimè admitti nisi præuio testium examine, & factis debitis interrogationibus coram Nobis, aut Vicario generali, &

non

non coram Notario tantum, præmissaquè etiam comminatione eisdem testibus, vt supra examinandis, quod si falsum deposuerint ad triremes damnabuntur, pro quo quidem examine, nulla merces soluatur Notarijs, etiam quoad scripturam, seruatisque ijs omnibus, quæ ex Litteris Eminentissimorum, & Reuerendissimorum Dominorum Cardinalium Sancti Honuphrij, & Barberini, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Vrbani Papæ VIII. expeditis habentur, Nobisquè directis sub die 13. Iulij 1630. & anno etiam 1636. Ad hunc etiam locum illud pertinet, vt si quis ignotus in alicuius Parochiam nostræ Diœcesis ad habitandum migrauerit, mulieremque secum æquè ignotam habeat, quam Coniugem dicat, teneatur Parochus eis iniungere, vt infra tempus aliquod, iuxta locorum distantiam assignandum, testatum legitime faciat coram Nobis, aut Vicario nostro Generali, mulierem sibi iusto matrimonio iunctam esse.

Porrò denunciatis Sponsis in Ecclesia iuxta formam Tridentini Concilij, omnis mora præcidenda est ad coniungendum eos in matrimonium; vitandum siquidem æque est, ne sponsi aut leuitate ingenij, aut stimulo libidinis, Sanctę Matris Ecclesię ritus ante prę-uertant, aut vitij alicuius inani suspicione, vel significatione, datam matrimonij fidem contemnant.

Nostræquè etiam sunt partes, mulierum pudori, familiarum dignitati, & inimicitię, cædiumque forte periculis occurrere, quę ex retardata nuptiarum transactione exoriri possent.

Ad

Ad hæc, si non fiat matrimonium circa quattuor menses ab vltima, repetantur denunciationes ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij.

Et vt omne auertatur scandalum, præcipimus Parentibus & Consanguineis, ad quos pertinet, ne ante matrimonij celebrationem patiantur sponsos simul cohabitare iuxta Sancti Concilij Tridentini interdictum.

Sed & eos hortamur, vt ne quidem sinant sponsos domesticè simul agere, & tractare.

Nostri quoquè muneris esse iudicamus, præcepta, ritusquè exponere, quæ à Parochis in matrimonio iungendo obseruari debent, non vt præsentes edoceamus, quorum integritas, & peritia nobis perspecta est, sed vt in generali lege, quæ maiorem desiderant eruditionem, minimè prætermittamus.

Non alio itaquè tempore, quam mane post diluculum, matrimonium celebretur.

Pro benedictione sponsorum fiat Sacrum, prout in Missali Romano.

Huic Sacro non solum optamus sponsos interesse, sed etiam Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento illorum animas communiri, vt fortius coniugij molestias, & onera sub tanto præsidio sustinere valeant: fælices siquidem illæ nuptiæ, quibus Christus est præsens, quæque non luxu, sed virtutibus consecrantur.

Subinde qua decet oris maiestate, & suauitate, tanti Sacraméti dignitatem, & virtutem extollat, quanta fide colendum, quantoquè studio filij in Christiana

disciplina sint instituendi.

Illud prę cæteris incutiat, etiam coniugatos ad perfectionis ascendere sublimia.

Et quod caput est, hortabitur Virum, vt Vxorem vera beneuolentia, & gratia complectatur, iuxta illud Diui Pauli Apostoli (Viri diligite Vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam, & se ipsum tradidit pro ea)

Non insaniat tamen Maritus, nec deformiter amet. In aliena Vxore, amor omnis est turpis; in sua, nimius; Adulter est in suam Vxorem amator ardentior (inquit D. Hieronymus)

Vxorem quoque, vt virum suum, non tam diligat, quàm reuereatur; nam & idem Apostolus dixit (sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita Mulieres Viris suis in omnibus)

Demum animaduertat Parochus tempora, quibus solemnia nuptiarum prohibentur seruare; ab Aduentu scilicet Domini vsque ad Epiphaniam, & ab ineunte Quadragesima, ipsaque Cinerum Die, ad Octauam Paschæ; talis est enim illorũ dierũ Sanctitas, vt etiam in veris Coniugibus continentia laudabilis sit; tantum abest, vt sponsam per risus, iocos, & hilaritates, tunc liceat traducere, vbi Aduentus Domini piè, ac deuotè veneratur, vel vniuersæ Ecclesiæ indicta sunt ieiunia.

Et ne matrimonia celebrata memoria labantur. Volumus Parochos habere compactum librum, in quē singula matrimonia referant, vt primum nomina, & cogno-

cognomina vtriusque sponsi, & parentũ eorum, deinde denunciationes, dies, mensis, annus, & locus vbi matrimonium celebratum fuerit, vnà cum testium nominibus adhibitis, præscribantur; adiecto etiam nomine Sacerdotis, si de Parochi licentia Sacerdos alius matrimonio interfuerit.

Hunc librum seruent illi penes se, & benè custodiant: sic descriptum ad Nos singulis annis deferant, vt in Archiuium quoque nostrum Episcopale eadem descriptio deferatur, & illicò eisdem Parochis reddatur.

Ex hoc libro attestationes aliquas, ad criminales causas spectantes, depromi minimè concedant, aut permittant, nisi nobis prius consultis, sub pœnis arbitrio nostro imponendis.

DE AQVA BENEDICTA.

Loquutus fuit Deus per Ezech. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; labrum cum aqua erat ante ostium Tabernaculi, & ibi Aaron, & filij eius ingressuri Tabernaculum, lauabant manus, & pedes.

Quod autem tunc obseruabatur ad prænunciationem, nunc sub lege gratiæ per Christum celebratur ad confirmationem, & magis propter Nos, quibus manifestatur, quam propter illos, in quibus figurabatur.

Præ cæteris ritus ille sacer Apostolica traditione in-

ualuit in Ecclesia, vt aqua naturalis benedicatur, eaquè non solum Sacri Ordinis indumenta, & quæ ad Dei templum pertinent, interdum etiam cibi aspergantur.

Sed etiam, vt fideles ea piè, ac deuotè, cum dolore peccatorum vtentes, expientur à maculis animæ leuioribus, ipsiquè, eorumquè habitacula ab illusióne, & infestatione malignorum spirituum lustrentur; nec mirum; quoniam si aquæ de Mara amarissimę, dulces factę sunt, immisso ligno, quod Dominus ostenderat Moysi, quanto magis Sacro adhibito signo Crucis, fusis Deo precibus alijsque religiosis ritibus naturalis aqua conuersa in Sacramentalem, ad salutem dulcescet?

Hanc igitur marmoreo, & affabrè facto vase, seu labro in quibuslibet Ecclesijs asseruari præcipimus, eo loci disposito, vt templum ingredientes, commodè, indice dextro immerso, frontem suam in modum Crucis respergere valeant.

Labro purgato à sordibus, aqua renouetur à Sacerdote, die Dominico; superpelliceo, stolaquè induto, Parochus hortetur, vt quisque Paterfamilias, domi, decente Labello aquam benedictam asseruari, eaque vespere, ac mane singulos eiusdem familiæ liberos, & seruos, piè deuotèq; lustrari studeat.

Singulis annis, in Paschate, Parochi aqua benedicta domos suæ Parochiæ aspergant, exceptis domibus meretricum, & publicorum peccatorum.

DE

DE EXORCISMIS.

DIgnissimum ac cœleste, nefarios è corporibus pellendi spiritus officium: qui aggrediuntur, morum innocentia, ac doctrinæ præstantia excellere debent, cum deterrimo humani generis hoste certamen habituri, cuius fraudibus nullum humanum consilium, sed Diuinum, obsistit, cuius furori nulla virtus, nisi cælestibus munita præsidijs, occurrere valet.

Qui igitur ab Energumenis infestos corporibus spiritus eijcere putauerit, eius rei scriptam facultatem à Nobis prius accipiat, siue sit Sęcularis, siue Regularis, sub pœnis arbitrio.

Deinde pridiè quàm exorcizaturus sit, ieiunio corpus domare, pijsquè precibus mentem erigere studeat, secumque reputet tutissimis armis tantam colluctationem instruendam esse, & malorum Dęmonum genus, ieiunio maximè, & oratione expellendum.

Non prius incipere monemus, quam Diuino Sacrificio Deum sibi propitiauerit, & Sacræ etiam communionis robore exorcizandum præmuniuerit, citra tamen omne periculum iniurię, aut contemptus Sacramenti.

Perquirat postea, an aliqua fraus subesse possit, vel simulatio.

An ille infestis spiritibus, vel potius aduersa valetudine mentis agitetur, & in re, si opus fuerit, Medicorum iudicium adhibeat.

Tunc

Tunc his ſemel ac ſæpius exploratis, acerrimo fidei telo armatus, deprehenſum Dæmonem aggrediatur, nec aliud in ea pugna, quam Dei gloriam exquirat, & Energumeni curationem.

A vanis, & curioſis percunctationibus abſtineat.

Nugantem ſæpe Dęmonē reprimat, ſuperbū, & elatum increpet, illiq; cū poteſtate, vt obnoxio imperet.

Conſuetis precibus, & orationibus ex Rituali Romano vtatur, quas memoriæ demandatas, maxima recitet pietate, & grauitate.

Si mulier ſit Energumena, maiorem cautionem adhibeat, ne quid fiat, aut dicatur, vnde impudica cogitatio, aut ſibi, aut mulieri poſſit occurrere, quæ animum de ſuſcepto Religionis inſtituto deijciat.

Alienam ſemper manum in præbendis vnctionibus, vel fumigationibus alijſque remedijs adhibeat.

Non alibi, quàm in Eccleſia, clauſis ianuis huic officio incumbat, conſanguineis præſentibus, aut alijs paucis probatæ vitæ, excluſis omninò pueris, & puellis.

Non plures eodem tempore curet, ſed vnum tantū, non ante lucem, nec poſt occaſum ſolis.

Pecuniam, mercedemque operis nullo modo exigat, præſertim ſi voti ſui compos fieri deſiderat, non aliam expectans, quam cæleſtis gloriæ, & quod nomen illius in libro vitæ deſcribatur.

Si ad curanda præterea maleficia, quis vocatus fuerit, officium illud minimè ſuſcipiat ſine noſtra licentia in ſcriptis, ſub pænis arbitrio.

DE INDVLGENTIIS.

MIrum est tam multos inter Christianos terrenis, & fluxis opibus, ingenti studio comparandis inhiare, tam paucos salutaribus, & æternis.

Nullam fideles nostri prætereant opportunitatem; ditandi se sanctis Indulgentijs, ex Diuinæ gratiæ thesauris, & Romanę Ecclesiæ munificentia prodeuntibus; sic tamen, vt in gratia inueniantur, eaquè omnia simul præstent, quæ Apostolicis literis continentur.

Et quoniam tantus Ecclesiæ Thesaurus, non ad rerum caducarum fructum exponitur, sed ad rerum Cœlestium gratiam, & gloriam promerendam, Omnibus ideo prohibemus, arculas ob id eleemosinarum in medium producere, aut aliter illas exigere, & emendicare, & si quid vltro pietatis studio collatum fuerit colligatur à Ministris; & in nostra Cathedrali à duobus Canonicis per nos deputandis, & in pauperes, & Diuinum cultum erogetur.

Hinc diploma Pontificium non penes capsulas, sed penes Altare maius, à latere dextro, vel penes aliud ad quod statio ipsarum Indulgentiarum causa sit, exponi volumus, capsam verò inde longè, alio loco constitui, vt intelligant omnes, eleemosinas, nisi sint pręceptæ, minimè necessarias esse ad consequendas indulgentias, nec ad quæstum temporalem illas proponi, sed ad Diuinum, Cœlestem.

Vt

Vt autem praui moris vſus tollantur, qui quandoquè obrepere non deſinunt, decernimus, vt quicumque Indulgentias impetrauerint, Nobis ante omnia, aut Vicario Noſtro Generali eas inſpiciendas, & legendas tradant, nec aliquis, ſiue Sæcularis, ſiue Regularis ſub quouis priuilegij prætextu, ipſas Indulgentias aliter quam à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali recognitas audeat publicare. Noſtri enim eſt officij, duobus in Conſilium adhibitis Canonicis, tempus rationemquè promulgandi ſtatuere ex Sacri Concilij Tridentini Decreto.

Canonici alter à Nobis, alter à Capitulo in principio cuiuslibet anni eligantur, & deſcribant in libro ad hoc compacto ipſas Indulgentias, diemquè, & annum conceſſionis, nec non Nomen Summi Pontificis concedentis.

Et ne fideles in re tanti momẽti decipiantur, ſignificamus ex Decreto Congregationis Sanctæ Rom. Inquiſitionis anno 1635. nonnullas Indulgentias falſas declaratas fuiſſe.

Videlicet quæ aſſeruntur conceſſæ à Pio V. S.M. Senarum Principi.

Item ab eodem, Magno Duci Etruriæ, & confirmatæ à Clemente viij.

Item à Clemente viij. Eccleſiæ Sanctæ Mariȩ Montisferrati.

Pariter Indulgentia Plenaria pro Defunctis à Clemente vij. Mantuæ Carpentorum, ſeu Madriti 20. Iunij 1606.

Simi-

Similiter Indulgentiæ assertæ reuelationis B. Ioannis de Cruce piaculari grano, quod dicitur tetigisse vnum ex tribus, quæ sunt apud Summum Pontificem Regem Hispaniarum, & Generalem Minorum de obseruantia.

Item Indulgentia, quæ dicitur concessa à Ioanne xij. illis, qui osculantur plantam pedis Beatæ Virg. prælo datam.

Item eę, quæ à Papa Adriano vj. dicuntur concessæ granis benedictis ad instantiam Cardinalis Lanchin. Trigermani, Brabantini, impressæ Panormi anno 1611.

Demum Indulgentia quę circumfertur, veluti anno 1626. à Sanctissimo D. N. Papa Vrbano viij. in honorem Sanctissimi Sacramenti Altaris, vel ad nostram, vel Caroli Magalotti fratris nostri germani supplicationem concessa, vt ex litteris Eminentissimi D. Cardinalis Mellini bo: me: die prima Augusti 1626.

Et quæ dicuntur concessæ à Sanctissimo D. N. Vrbano viij. Confraternitatibus Sanctorum Sebastiani, & Rochi Perusij, & Sanctissimæ Trinitatis redemptionis captiuorum in Vrbe Romana.

DE DIVINIS OFFICIIS, ET EORVM ORDINE.

DIuina officia grati sunt animi obsequia, quæ ob innumera in Nos à Deo collata beneficia persoluuntur. Sunt feruidæ, & piæ preces, quibus Diui-

na ad ignoſcendum, & auxiliandum exoratur clementia.

Et vt Diuus Baſilius Magnus edocuit, Spiritus Sanctus, concinna illa numerorum modulatione, in animos noſtros effundit eloquiorum ſuorum dulcedinem, & vtilitatem; itaut ſi quiſpiam piè, ac deuotè concinat, & moduletur, re ipſa animum ſuum erudiat.

Clerus itaquè noſter, ſiue ex Canonicis, Manſionarijs, & Capellanis, ſiue ex Sacerdotibus, Diaconis, vel Subdiaconis, ſiue demum ex Clericis Eccleſię noſtræ Cathedrali adſcriptis, ad conſuetum pſallendi Officium Matutinis, ac Veſpertinis horis conueniat, & ſi qui addicti ſunt alijs Eccleſijs, idem munus opportunis horis ſtudioſè expleant.

Eſt nimirum inexcuſabilis homo, & Vir maximè ſacer, ac pius, qui debitum canendi penſum quotidie Deo non ſoluit.

Erubeſcat (inquit Diuus Ambroſius) qui ſine pſalmorum celebritate diem claudit, cum etiam minutiſſimæ aues, ſolemni deuotione, dulciquè carmine ortus dierum proſequantur. Quare ſtultus illorum labor in temporibus ſuccedit, qui de auium exemplo quotidie Deo canere, & confiteri minimè contendũt.

Magnam prætereа pro ſe quiſque curam adhibeat, vt cum legem Domini celebrat, ignea quoquè lex appareat in dextera eius, & dum ex ore prodit, in dextera rutilet, iuxta illud Dauidicum.

Benedicite Domino omnes virtutes eius, Miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius.

Dein-

Deinde studeat distinctè, & apertè alterni versus proferre verba, turpe siquidem existimamus Clericos linguosos, forum quandoquè, & vicos, elingues fere, Ecclesiam, & Chorum frequentare.

Sic se ipsum quilibet demum obseruet, vt dum canit, cæteris psallentibus non desinat concorditer assentire, veluti vnius corporis membrum. Nihil sibi priuatim proponat, sed vno spiritu, & corde cum alijs diuinas laudes extollat.

Legitimè impediti, vacationem habeant, excusationisquè veniam.

Decreta de Chori disciplina, omnes accuratè obseruent.

Si vrgente necessitate extra Chorum Ecclesiæ diuina celebrari contingat officia, ibi Laici nullo modo admittantur, & ita quisque se ipsum componat vt nulla animi detorsione à diuinis canendis laudibus auocetur.

Si Diuina officia recitanda, vel Sacrum faciendum sit ad Capellas, & Altaria in inferiore, vel remotiore parte, posita in Ecclesia nostra Cathedrali; atquè si propter Chori distantiam difficile sit voces alternatim exaudiri ad cantum concinne edicendum, tunc circa Altare, scamna pro Canonicis, & reliquo Clero, qui interesse debuerit, in ordines distincta collocentur. Vel si Canonici assistere teneantur pro ipsis tantum scamna, cum postergalibus apponantur, propè Capellam, vel intra eiusdem septa si satis ampla fuerint.

Vniuersi ex Clero beneficiato Ciuitatis, in festis Natiuitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, Pentecostes, Sanctorum Georgij, & Maurellij Patronorum, & in Die Commemorationis Defunctorum, sint in Choro Cathedrali superpelliceis induti.

Quod autem spectat ad ordinem Diuinorum officiorum, non alius obseruandus erit præter eum, quē Calendarium Nostrum, & Sancta Romana Ecclesia in libris Breuiarij, ac Missalis respectiuè constituit, Pij v. & Clementis viij. S. M. iussione editis, ac demum Sanctissimi D. N. Vrbani viij.

Si quis præfatas Diuini Officij recitādi formas peruertere ausus fuerit, vel mutare, aut scindere, Diuinæ, nostræque vltionis pœnam expectet.

Nos ipsi Chori coronam, cum per alia nostri muneris negocia licuerit, augebimus, cum Angelis, & Clero, benedicentes Domino.

Cum Angelis quidem, quoniam illi orantibus, & psallentibus hominibus se se adiungunt.

Hi sunt (ait Diuus Bernardus) de quibus in psalmo: Præuenerunt Principes coniuncti Psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.

Ecce ergo duo canentium Chori, hinc homo, illinc Angelus, è terra homo, è Cœlo Angelus, vocem Orationis, vocem laudis, alterna pietate, & consona modulatione emittentes.

Inde pro certo habemus, nihil præposterum, nihil inordinatum, nihil indecorum nos spectaturos.

No-

Nobis certè præsentibus, Canonicus festis diebus missam celebrabit, Matutinas horas, & Vesperas ducet;

Et quia Post editum Breuiarium auctoritate Sanctissimi D. N. Vrbani viij. recognitum, addita sunt duo Sanctorum officia, alterum de præcepto, scilicet Sanctæ Martinæ Virginis, & Martyris, sub die 30. Ianuarij, alterum ad libitum S. Theresiæ Virginis die 15. Octobris, illa quidem recitari poterunt, sed nullum aliud præterea; quamuis ex illis, quæ in libellis extra Romam impressis circumferuntur.

Demum dedicatio Ecclesiæ Cathedralis nostræ celebretur in tota Diœcesi, ritu duplici primę classis, cum octaua in Ciuitate tantum.

DE CHORI DISCIPLINA.

VNiuersi, qui Choro sunt addicti, in Sacristia chorali habitu induti, dato signo cum campanula Sacristiæ, certo ordine in Chorum procedant.

Altari maiori Canonici profundè caput inclinent, reliqui genuflectant.

Locum suum quisque adeat, vbi flexis genibus oret, donec initium officij à maiore, qui in Choro est, indictum fuerit.

Deducentes Canonici Episcopum ad Ecclesiam, ad Altare Sanctissimi Sacramenti cum eodem orent, & cum ad Altare maius genuflexerit Episcopus, statim accedant ad loca sua, ibiquè pariter genuflectant, & sur-

ſurgente Epiſcopo aſſurgant.

Epiſcopo prætereunti omnis Clerus reuerentiam exhibeat, Canonici quidem capite profundè inclinato, reliqui cum genuflexione.

Inchoato officio, quicumque aduenerint, non ante locum ſuum petant, quam genuflexi ante Altare orauerint, factaquè reuerentia Altari, Epiſcopo, Canoniciſquè exhibito honoris officio.

Si tunc dicitur in Choro (Deus in adiutorium) vel, Gloria Patri, vel Hymnus, aut in Miſſa Oratio, ſeu Euangelium, tamdiù ſtantes ſubſiſtant, quamdiù canctus fuerit abſolutus, & factis pariter Oratione, & reuerentia, adibunt Stallum ſuum.

Canonicum aduenientem omnes, qui ſunt in Choro, ſtantes conſalutent. Manſionarium item omnes, præter Canonicos, Capellanum denique reliqui paris, & inferioris gradus tantum.

Idem ſeruetur in ſurgendo, & ſtando, videlicet, vt ſurgente, vel ſtante Canonico, officij gratia omnes ſurgant, & ſtent, & ſic de cæteris.

Surgente, vel ſtante Epiſcopo, multò magis.

Ex aſſiſtentibus Epiſcopo, aliquo ſurgente, ſurgant coaſſiſtentes tantum, non alij Canonici, qui ſunt in Choro: & è contra ſurgente Canonico in Choro, non aſſurgant Aſſiſtentes Epiſcopo.

Ad Capitula, Hymnos, Verſiculos, Orationes, & cantica Euangelica, ſtent omnes capite detecto: ad Gloria Patri, in fine Pſalmorum, ſedentes caput aperiant, & profundè inclinent.

In

In Missa ad Confessionem, qui non sunt Canonici, nequè Dalmaticis induti ad ministrandum, genuflectant omnes.

Dum canitur à Musicis Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, & Agnus Dei, qui in Choro sunt bini ea recitent, stantes detecto capite, subinde sedeant, ad Kyrie, Gloria, Credo.

Sedeant ad Epistolam, Graduale, Tractum, ad Offertorium, & Antiphonam, quæ dicitur communio.

Qui sedent, dum cantatur Credo, ad ea verba (Et incarnatus est) caput apertum profundè inclinent; præterquam in Annuntiatione B. M. & in Natiuitate Domini, quibus diebus genua flenctantur, qui verò stant, ad prædicta verba semper genuflectant.

Qui cantant in Choro, Gloria, Credo, & alia, ad Lectorile stantes canant.

Ad Missas Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor temporum (exceptis ijs, quæ in Pentecoste) Vigiliarum cum ieiunio, exceptis Vigilijs Natiuitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, & Defunctorum, genuflectant omnes ad Orationes, & à Sanctus, vsquè ad Pax Domini exclusiuè: & præterea semper ab initio Canonis, vsque ad eleuationem.

Quando in Missis recitantur Litaniæ, fiant genuflexiones ad ea tantum, ad quæ in festis tempore Paschali.

In thurificatione facienda, Canonici omnes assurgant, cum thurificantur, & alter alterum immediatè subsequentem capitis nutu modestè inuitet. Si thurifi-

rificans & thurificandus ſint dignitate pares, ſibi inuicem honorem exhibeant, ſi inferior eſt qui thurificat, hic quidem erga maiores caput profundè inclinet: illi vero parum, vel nihil verſus thurificantem reſpondeant.

In danda pace non fiant inuitationes. Sed qui eam dat, non niſi poſt datam pacem, recipienti caput inclinet, magis, vel minus, pro qualitate perſonarum.

Poſt conſecrationem fit genuflexio ambobus genibus; à Diacono, & Subdiacono, vnico tantum genu, vt expeditiùs celebranti miniſtrent.

Cæterum in Choro nulla ſint Colloquia, riſus, actus vè incompoſiti.

Non priuatim officium dicatur, & qui forte tardius aduenerit, cum alijs de Choro proſequatur officium, ſuppleturus potius in fine officij, ea, quæ initio omiſit.

Faceſſat ſomnus, Epiſtolarum lectio priuatarum, ſeu librorum.

Loca ne mutentur, nequè Canonici aſcendant ad Stalla Dignitatum, nequè inferiores ad Stalla Superiorum.

Stallum quiſquè ſuum non deſerat ſub quouis prætextu, aut colore.

Choro nemo exeat, officio Diuino non completo.

In acceſſu, & receſſu reuerentiam exhibeant omnes, cauſamquè Punctatori ſignificent, prius exeuntes.

Poſt Diuinum Officium flexis genibus parumper orent,

orent, & veniam de erratis in officio deprecentur, deinde omnes simul assurgant, & ordine quo prius, facta altari reuerentia modestè, & sine strepitu ad Sacristiam redeant.

Qui in prædictis deliquerit, Deo reus erit, & Nobis etiam pro modo culpæ dabit pœnas.

DE PVNCTATORIBVS.

PVnctatores vnus Canonicorum, & Mansionariorum, duo Capellanorum constituentur.

Hi tùm in Synodo nostra, tùm initio illorum officij, etiam in manibus Nostris, vel Vicarij Generalis, iurent se omni abiecto humano respectu fideliter, & iustè obseruaturos, quæ à muneris sui legibus præscribuntur, & iuxta formam Capitularem, & in hac Synodo præscriptam.

Eligantur qui plurimum horis diuinis, & nocturnis interesse solent; hos tamen, si abesse aliquando contingat, in eorum loco Chori Præfectus sufficiat alios.

Librum conficiant, in quo errata conscribantur, & tabellam simul, in qua singulorum nomina adscripta sint.

Hunc librum custodiant, nec cuiquam patere permittant, præterquam Capitularibus, & Mansionarijs, & Capellanis, ad quos res, & emolumentum spectat.

Neminem iniuria, aut odio notent, neminem notandum prætermittant; alias satisfaciant de proprio ijs, quibus damna intulerint, & integras vnius heb-

domadæ amittant diſtributiones.

Singulis hebdomadis recognoſcant, quæ prius notauerint.

Notent autem diligenter eos, qui mulctandi ſunt ex Eccleſiæ Ordinationibus, aut decretis noſtris, aut iuſſu Præfecti Chori.

Eos præſertim, qui horis Canonicis, diurnisquè, & nocturnis officijs non interfuerint.

Qui in Choro ſtabunt abſquè ſuo ſuperpelliceo.

Qui exibunt Choro, non abſolutis omnino Diuinjs officijs, aut ſtatim nõ redierint ob neceſſitatẽ exeũtes.

Qui pariter non interfuerint à principio, iuxta laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ noſtræ, & Ordinationes Capitulares.

Qui intonando Antiphonas, aut cantando grauiter errauerint.

De ſequentibus etiam culpis punctentur, qui admoniti rurſus deliquerint, nec reſipuerint, arbitrio Præfecti.

Qui decentem habitum Choralem non induerint.

Qui ſine Tonſura debita Choro adfuerint.

Qui Pileum pro bireto geſtauerint.

Qui Chyrothecas, aut flores præ manibus habuerint.

Qui litteras, libroſquè legerint, aut officium priuatim recitauerint.

Qui dormierint, & extra neceſſitatem colloquia habuerint.

Qui loca mutauerint, peruagantesque extra ſui mune-

ne-

neris causam.

Qui exierint Choro sine licentia Præfecti.

Qui in cæremonijs de disciplina Chori præscriptis vniformitati, in sedendo, stando, genuflectendo non studuerint.

Qui muneribus proprijs in Choro per negligentiam culpabilem defuerint.

Excusationes omnes, veluti infirmitatis, senectutis, visitationis, & aliæ propositæ à Præfecto iudicentur.

Idem Præfectus, negligentibus punctatoribus, notationes iubebit.

Et Punctatores in officio delinquentes arbitrio suo mulctabit.

Præfecto absente, dignior Præfecturam gerat.

Punctatores ipsi iuxta laudabilem consuetudinem salarium consequantur.

DE ORGANIS, ET CANTIBVS.

ORgani modulatio nobile est Diuinarum laudum ornamentum, quod multum valet ad Christianæ pietatis studium, rerumquè Cœlestium amorem Sacra sui oblectatione excitandum.

Hoc itaquè antiquissimum in Ecclesia Dei modulandi institutum, non solum in Ecclesia nostra Cathedrali, & in alijs, in quibus hucusquè seruatum fuit, tam in Ciuitate, quam in Diœcesi, seruari mandamus; verum etiam, vt vbi commodè vsu recipi potest, Pa-

rochi omnes, præsertim Archipresbyteri in suis Plebibus illud teneant, vehementer optamus, & hortamur.

Clericus, siuè alius, probatis moribus, & arte decenter pro Ecclesiæ dignitate illud pulsabit, non etiã aliud quodcumquè instrumentum illius loco.

Archipresbyter, seu Parochus quisquè Ecclesiæ stipendium illius præstabit, ita tamen, vt Diœcesani dimidium saltem conferant pro sua in rem Diuinam reuerentia, nulla quidem vi, nullaquè coactione in hac re adhibita.

Cum primùm Episcopus, vt intersit Diuinis officijs, intrabit Ecclesiam, decorè, grauiquè Organi modulatione excipiatur, nec prius desinat, quam loco suo consederit.

Idem seruetur in recessu illius ab Ecclesia, donec egressus fuerit.

Cantus porrò in Ecclesia, sicuti & sonus, sint Sanctis, diuinisquè laudibus congruentes.

Laici Cantores Clericali superpelliceo in Ecclesia sint induti.

Procul sint prophanæ omnes, & lasciuæ cantilenæ, & Theatrales moduli, vt in timore, in opere, in scientia scripturarum, quicumque audiunt, psallant in cordibus suis Domino.

DE PROCESSIONIBVS.

NEmo præsumat (inquit Beatus Crisologus) Ecclesiæ Conuentum posse contemni, & solitarias pre-

preces venerandæ Congregationi anteferri.

Vberrimi siquidem sunt fructus, qui ex pijs publicisque precibus, & supplicationibus, à primis vsquè nascentis Ecclesiæ temporibus percipi solent, prosunt valde ad Diuina promerenda beneficia, ad dignas pro acceptis referendas gratias, & demum ad peccatorum veniam faciliùs consequendam.

Et verè imperterrita confidentia in cõcordi ad Deũ clamore sita est, tunc quippe multis Orantibus fugiunt tenebrarum potestates, & iubente Deo accedunt Angeli, nostris ministrantes, & subuenientes necessitatibus.

Vt igitur publicæ supplicationes, ex quibus tot sperantur beneficiorum compendia, & Diuinæ gratiæ largitates, recto ordine, & congrua pietate celebrentur.

Sancimus primò, futuras supplicationes, earumq; dies publicè antè indicendas, & à Parocho Populum monendum, vt ad rem celebrandam frequentissimus adsit, & in eo officio sanctè, modesteq; versetur.

Quod si extraordinariȩ (ex Pontificis maximè auctoritate, siue Iubilei, siue alterius rei causa suscipiendæ fuerint) curæ Episcopo erit, vt etiam Concionatores in Cathedrali Ecclesia è suggestu rem populo nuntient, & accurata oratione audientium animos ad piè officium obeundum incitare contendant.

Conueniant non solum Laicorum sodalitates omnes, sed etiam omnes Cleri Ordines, tàm Sȩculares, quàm Regulares, ijs exceptis, qui arctiore disciplina claustris suis continentur, & qui præcipuo aliquo priuile-

uilegio eximuntur.

Illud certè præmonemus, exemptos omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares quoscumquè etiam Monachos, ab Episcopo vocatos, ad publicas processiones teneri accedere, illas scilicet, quæ fiunt in Litanijs maioribus, atquè minoribus, in festo Corporis Christi, vel pro bono publico, vel in aduentu proprij Episcopi.

Hi omnes bini semper, quasi vnitatem, & geminam charitatem referentes, procedant; hymnos & psalmos de more piè, ac modestè canentes.

Quibus præcedat abeuntibus Crux, è qua pendeat velum, seu pannus, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum.

Clerus Sæcularis, cum biretis, veste oblonga, mundisquè superpelliceis accedat.

Item Regulares, propria cum sui ordinis veste.

Si qua de loco, aut dignitate contentio inter ordines exoriatur à Nobis, vel Vicario Nostro Generali, pro arbitrio dirimatur.

Ordinem Cleri Populus sequatur.

Fœminæ non vno agmine cum viris, sed separatim postremò incedant.

Fiatq; separatio fæminarum, vel per Custodes, vel interiecta Cruce.

Progredientem ex templo pompam festus campanarum sonus prosequatur, & redeuntem pariter excipiat, idemque Ecclesiæ omnes faciant per quas, vel ante quas supplicantes incedent, neque eo tempore quispiam sacrum dicat:

Ne-

Nemo inter eundum ſpectandi cauſa ſubſiſtat, nemo colloquia inanibus, aut adeo non neceſſarijs de rebus differat, nemo denique quicquam petulanter dicat, aut faciat.

Præter conſuetas ſupplicationes ab Eccleſia inſtitutas, ſiue à Summo Pontifice, & à Nobis inſtituendas, nullus Eccleſiaſticus Sæcularis, aut Regularis, quamuis exemptus, ſine noſtra venia, extra ſuam Eccleſiam, aut ſi commodè nequeat, non niſi muros circumeundo, publicas ſupplicationes faciat.

Fieri conſuetæ in noſtra Cathedrali, & alijs Eccleſijs, tâm Vrbanis, quam ruralibus, nullo pacto intermittantur.

Et quoniam ad nos ſpectat non ſolum proceſſiones edicere, ſed etiam dirigere.

Vbi veniam à Nobis impetrauerint longius proceſſiones ducendi, Volumus eaſdem proceſſiones intra fines, quià nobis pariter præſcribentur, contineri.

Arbitrio quoque noſtro reſeruamus, an proceſſiones de more fieri poſſint, feria ſexta maioris hebdomadæ.

Et quoniam ſæpè Sacræ Imagines, aut ſimulacra, etiam ſculptilia deferri ſolent, mandamus, vt ad libitum cuiuſquè ordinis deferri non poſſint, niſi Nobis conſultis, & præmiſſa noſtra approbatione, & benedictione expreſſa.

Proceſſiones ſolemnes plures eadem die, in eodem viarum ambitu minimè fiant, & qui ſuam facere intendunt, in alium diem protrahant.

Si

Si de prælatione contentio fiat, nostræ erit sententię iudicare, manutenendo etiam eum, qui fuerit manutenendus.

Rectores Parochialium non habentes pluuiale, nec ostensorium in die Fœsto Corporis Christi, aut alio tempore, processiones minimè faciant.

Deferentes Crucem in Processionibus, vestibus Sacris induantur, proptereaquè Laicos ab hoc ministerio exclusos volumus, sub pœnis arbitrio.

DE FVNERIBVS, ET SEPVLTVRIS.

QVæ in funeribus obeundis, Sanctorum Patrum instituto, à mysterio, & pietate ortum habent, ea sæpe, aut ad vanam apparatus ostentationem conuertuntur, aut negligentia, interdum auaritia deprauantur.

Nostrę ergo Pastoralis curæ censemus esse ad Christianam Charitatem, religiosumquè ritum pia hæc officia reuocare.

Et primùm decernimus, vt Parochi nostri curent amicos, & iunctos defuncti, à deformibus lamentis, & indecoris ploratibus auertere, quamuis enim dolorem in ijs significatum minimè reprehendamus, cum sacra edoceat scriptura: Super mortuum plora, deficit enim lux eius.

Et rursus dicat.

Fili in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus,

ſus, incipe plorare. Tamen abſurdos fletus, & fœmineos eiulatus Chriſtiano indignos iudicamus, & ad Ethnicorum, qui ſpem non habent, mores potius pertinere, quorum indecens vſus lugendi mortuos ita inualuerat, vt ne dum per Vrbem vagantes pergerent, ſed etiam Hyſtriones, & Præficas eiulantes conducerent, quæ ſimulatis lacrymis mortuos deplorarent.

Talis ergo mos non eſt à fidelibus expetendus, qui ſe hoſpites ſuper terram eſſe profitentur; apud quos mors non eſt viuendi finis, ſed ſempiternæ vitæ principium; non naſcentis pœna, ſed renaſcentis gloria.

Sub eadem ratione ineptas, aut mendaces laudationes damnamus.

Vbi autem in funere Oratio, vel Concio habenda erit; non alia, quam prudens, pia, & approbata à nobis; non alibi, quam in Eccleſia habeatur, & non niſi poſt miſſam.

Nullo denique prætextu, mortuorum ſepultura detineatur.

Omnis ſuperſtitionis ſuſpicio euitetur. Nihil in feretro apponatur. Nihil vanum in defuncti manibus, nulli flores, nullaquè ſerta circa tempora, præterquam pueris, aut puellis Virginibus; alioquin Parochus à ſepultura abſtineat.

Corpus ſine licentia Parochi, qui ſemper intereſſe debebit, à quoquam non efferatur.

Non ante ſolis ortum, non poſt occaſum, nec ante lapſum horæ duodecimæ ab obitu.

In morte autem ſubita, ſeu mulieris prægnantis, non

M ante

ante quadragesimam horam.

Nullus prætcrea sacra donetur sepultura, qui in Monomachia occisus fuerit; nullus etiam, qui sibi mortem consciuerit, aut eo anno peccata sua confessus non fuerit, iuxta sanctum Ecclesiæ præceptum, nisi hi dederint signa penitentiæ: Nos tamen prius consulat Parochus, vel Vicarium Generalem.

Notorij pariter peccatores, manifesti Vsurarij, nominatim interdicti, & excommunicati, ac alij omnes à Sacris Canonibus interdicti.

Funus minimè ducatur manè diei festi, ante meridiem.

Vbi Capitulum Cathedralis vocatum fuerit, Clerus Vniuersus, sub vnica eiusdem Capituli Cruce incedat.

Clerici à deferendis proprijs humeris cadaueribus penitus abstineant.

Funalia, Candelæ, & Cerei, qui dispensari solent, ardentes ferantur; ea nimirum luce fides eius, qui effertur, significatur, aut fulgor, & claritas gloriæ, quę manet in mortuis, qui in Domino moriuntur.

Parochi item, Rectoresquè omnes Ecclesiarum cū aliquo de sepultura, & iustis anniuersarijs non paciscantur, neque eius rei gratia quidpiam petant, vel exigant, quod vllam in eis simoniæ, aut sordidæ cupiditatis suspicionem redoleat.

Pia tamen legata, & eleemosinas vltro delatas, eos accipere permittimus.

Pauperum cadauera gratis sepeliant,

Ob-

Obſeruentur etiam omninò taxæ à nobis Edicto ſpeciali promulgatæ, tàm ratione Parochorum Vrbanorum, & ruralium, quam Veſpillonum Ciuitatis, quas huius Synodi auctoritate confirmamus.

Delata cadauera ad Eccleſiam minime nudentur, & ſi fortè fuerint inſpicienda à Curia Sęculari ob maleficia, inſpectio nullo modo fiat in Eccleſijs, vel in Cæmeterijs.

Multo minus Veſpillones audeant veſtes, Chirothecas, annulos, aut aliud quippiam à mortuo auferre, ſub pœna carceris, & alijs arbitrio.

Et quoniam decet de Epiſcopi funere aliqua etiam ordinare; illud primum animaduertimus, vt defuncto Epiſcopo, non vltra quadraginta horas inſepultum corpus relinquatur, atquè eo tempore honoris, & cuſtodiæ cauſa, Clerus frequens illius corpus circumſiſtat, aſſiduiſquè precationibus eius animam Dei miſericordiæ commendet.

Elatum omnis omnium Ordinum Sęcularis, atque Regularis Clerus, ad ſepulturam proſequatur.

Feretrum ſubeant, qui è Canonicorum Collegio alios antecedunt.

Exequiæ piè, & magnificè ſoluantur; Miſſa in Cathedrali Eccleſia ſolemniter pro illius anima celebretur.

Et quod pertinet ad ædificia, & iura ſepulchrorum, ſepulchra altius à terra eleuata, ſi quæ ſunt, ſolo ęquentur, iuxta Conſtitutionem S. M. Pij Quinti.

Noua ne ſtruantur ſub Altaribus, nequè ſub gra-

 dibus,

dibus, & si quæ sunt, terra obstruantur.

In pauimento Ecclesiæ construenda, sano, & polito lapide, planum æquante, diligenter obturentur.

Si commune aliquibus, vel proprium sit sepulchrũ, omnes alij excludantur.

In Monialium Ecclesijs interioribus, præter ipsas Moniales nullus alius sepeliatur. In exterioribus non nisi de licentia Episcopi, vel Vicarij Generalis.

Sepultura Peregrinorum in Cathedrali Ecclesia fiat, ibique eorum cadauera recondantur, nisi aliam sibi viuentes adhuc elegerint sepulturam.

Paruuli baptizati habeant specialem sepulturam, & in delatione illorum Crux sine hasta præcedat.

Nullus tamdem horreat moriendo inuenire sepulchrum; Reuoluit semel Angelus lapidem, vt reuolutus extaret Resurrectionis assertor, vt Vitæ esset titulus, qui mortis tenebat custodiam.

Mutatus est ordo per Christum; quia mortem, non mortuum deuorat sepulchrum. Domus mortis fit mansio vitalis; vteri noua forma, mortuum concipit, parit viuentem.

DE CAMPANIS, ET SIGNIS DANDIS.

NVllus ignoret Campanas esse veluti militantis Ecclesię Tubas, quibus Christiana Militia modo educitur, modo reducitur in Ecclesiæ Castra.

Quælibet Parochialis duas saltem habeat, Turri ap-

pen-

pensas, concordes, sonorasquè.

Sit Turris (si fieri potest) ab omni alio Ecclesiæ pariete seiuncta, ne frequentiore pulsatione, Ecclesiæ ædificium quassari forte contingat.

In eius summo fastigio ferrea Crux erigatur.

Vbi Turrim in Parochialibus excitare non liceret, pilis lateritijs arcuatis, aptior eligatur locus, in quo Campanæ appendantur.

Oratorijs vna tantum Campanula superapponatur.

Non nisi ab Episcopo Campanæ benedicantur, nihil prophani, nihil superstitiosi, vel characteribus, aut imaginibus admittatur.

Sabbatho Sancto non pulsentur etiam à Regularibus ante Cathedralis, seu Matricis Signum, ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum, sub pæna indicta in Concilio Lateranensi.

Cathedralis nostra duos, de more laudabili habeat Clericos, qui pulsandis suo tempore Campanis præsint.

Parochi, Plebani, & Archiprȩsbiteri, ditiorum Ecclesiarum administratores, Campanarium statuta mercede sibi eligant.

Huius erit officium Campanas feriatis præcipuè, festisquè diebus pulsare, nedum pro Sacrorum, Diuinorumque Officiorum celebratione; sed etiam pro conuocandis Pueris ad Christianæ Doctrinæ Scholas, nec non ad euocandos fideles, quo tempore Sanctissima Eucharistia defertur ad infirmos.

Cam-


Campanarum tinnitus excitabitur solemnioribus diebus, in honoris, & lætitiæ signum.

Pariter vbicumquè Episcopus munus aliquod obiturus, vel Ecclesiam suam ingredietur, vel prope Ecclesiam, Diuina peracturus, transibit.

Non præteribit Parochus Campanas etiam pulsare interruptis ictibus, quoties aliquis ex Parochianis decesserit, adiuncto prius Signo, Aue Mariæ, vt oret Populus pro Defuncti anima.

Ita quoquè dabit Signa solita in supplicationibus obeundis, in indulgentijs promulgandis, in funeribus celebrandis, in precibus pro Defunctorum animabus prima quaquè noctis hora fundendis, in recitanda Angelica Salutatione, assuetis ictibus, repetitis, sub Aurora, sub Meridie, & Occasu Solis, iuxta laudabilem omnium Ecclesiarum consuetudinem.

PARS



PARS TERTIA

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, ET EARVM CONSTRVCTIONE.



Nter omnia dona externa Diuino Numini oblata, Templorum ædificatio acceptiſſima eſt Deo, & gratiſſima, nullaque eſt res, (ait Caſſiodorus) per quã melius poſſit agnoſci, & prudentis ingenium, & largitatis affectus.

Ciuitatis Dei ſumma fuit gloria, quod in ea fuerint Tyrij, & Babylonij, qui ędificando Templo operam nauarunt, ſibique prę alijs nomen compararunt ęternum.

Propterea exclamat Dauid in Pſalmis.

Glorioſa dicta ſunt de te, Ciuitas Dei, memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & Populus Æthiopum, hi fuerunt illhic.

Nihil ex mundanis omnibus Deo ſpectabilius redditur,

ditur, quam Templum: super hoc liberalitatis suę oculos defixos habet, ad hoc aspicit, vt hominibus faueat, in hoc oblectatur, Regnique sui magnitudinem aperit, & gloriam.

Talia igitur pia, & magnifica opera, Nos quoquè laudamus, & celebramus, nonnullas tamen regulas: in Ecclesiarum constructione admodum necessarias, decernendas duximus.

Ecclesiam ergo, vel Oratorium ædificare nullus audeat, antequã Episcopus fixa Cruce locum designet, figuramquè ædificij præscribat, & donationem, qua vnius Sacerdotis, & Clerici, vel plurium eleemosina statuatur, & reliquis Diuini cultus indigentijs consulatur; ita enim Aurelianensis Concilij Statuta sequentes, hac nostra sanctione mandamus.

Insuper statuimus, vt nullus, siue Parochus, & Titularis, non exemptus, siue Laicus, prætextu, vel occasione cuiusuis reparationis Ecclesiæ, aut Oratorij, cui præsit, quicquam innouare quoad externam loci figuram, seu Sacras Imagines audeat, nec quidpiam de nouo facere, vel construere, Nobis prius non consultis, sub demolitionis pęna, ac damnorum, (si quæ illata fuerint) exoluendorum, & alijs arbitrio.

Item volumus vt in vniuscuiusquè Ecclesiæ fronte pingatur, seu sculpatur, decorè quidem, ac dignè, eius Sancti Imago, in cuius honorem Deo Optimo maximo Ecclesia illa dicata fuit.

Olim quoquè, & antea appositas, sed temporum iniuria pęne deletas imagines, infra duos menses, à

die

die huius Nostræ Synodi, denuò pingi, seu reformari iubemus.

Et quoniam præcipuè Pastorum curæ, ac studio committitur, sacrarum ędium dignitatis tutela, in quibus Deus adoratur, ac perpetuis Sacrificijs placatur.

Prohibemus ideo in Ecclesias quicquam prophanũ inferri, venale, vel sordidum.

Item per Ecclesiam fieri transitum cum oneribus.

Mundities, & decus vndique fulgeat, nihil incompositum, nihil indecorum appareat.

Ab ijs etiam sint procul nundinæ, edulia, choreæ, tripudia, ludi, & Circulatores. Omnia denique pietatem, deuotionem, ac religionem redoleant, & vbi Deus est in sua Maiestate, ibi quisquè in timore maneat, & tremore.

Amplius volumus, ab nulla parte templa priuatis domibus, & multo minus coquinis, stabulis, & cellis vinarijs adiungi.

Nec diuersum de Capellis, Oratorijs, ac quibusuis alijs locis religiosis iudicàmus.

Diuidantur ergo, & separentur omninò à Sacris locis priuatorum ædificia

Prope tamen Ecclesiam Rectoris, seu Parochi domus adesse probamus, vt eius vasa, & supellex, iusti custodis tutela à periculis vindicentur.

Si quæ ædificia iam extructa, Ecclesijsquè iuncta reperiuntur, seiungi, & amoueri infra quatuor menses, à die promulgationis huius Synodi, districtè mandamus.

Ad Parochiales Ecclesias, vel construendas, vel reparandas, vel in necessarijs ampliandas, auxilio sint Parochiani, nec suo muneri desit Parochus, suoque exemplo populos ad Christianam liberalitatem præeat, & prouocet. Vt Dei Domus honorificè se habeat, vt ne ruinis obnoxia, diuinis etiam laudibus destituatur.

Et quoniam constructa Ecclesia, debita cum reuerentia, excolenda est, ideo ab Ecclesia scœnicæ quælibet, etiam Spirituales repręsentationes, multoquè magis sæculares actiones, deambulationes, & strepitus omnes arceantur, iuxta Sacri Tridentini Concilij Decreta.

Fœdi, & impudici nec nomen audiatur.

Rectores, Vicarij, Sacristę, Custodes, quos nouerint delinquentes, Vicario Generali, aut Capitulari deferant puniendos.

Illius valuis, de rebus prophanis schedulæ non affingantur.

Altaribus laici non accedant, aut incumbant.

Canes venatici, volucres, hastæ, sclopeti in eam haud inferantur.

Et ne Sacerdotes, ac fideles à Diuinis, abstrahantur, & vt scandala, & tumultus euitentur.

Prohibemus in Ecclesijs, vel locis Sacris occasione festiuitatum earumdem Ecclesiarum, vel alio quouis tempore quidpiam ræpresentari, siue per volatum auium, siue per igneos radios, vel per alia similia, sub pænis grauissimis, arbitrio.

Men-

Mendicantes in Ecclesijs etiam Regularium, ad Portam Ecclesiæ consistant.

Non desit Templis Dei ornatus, & splendor, quo Diuinus cultus, & honor extollitur.

Ornatus autem maximus Sacramentorum, redemptio est captiuorum (inquit Diuus Ambrosius) Melius est quandoquè vasa viuentium seruare, quam metallorum. Bonum est ornare parietes, sed vtilius pauperibus prouidere; vtrumque autem facere, gloria Sacerdotis est.

Præterea vt loci ratio postulabit, ad vnius nostri exemplaris normam, ac præscriptum, Sanctissimæ Eucharistiæ Tabernacula, Reliquiarum Vascula, Olei Sancti custodias, sedes Confessionales, Turres campanarias, Sacraria, Cæmeteria, ac cætera ad cultum externum spectantia confici, ac instrui mandamus, non tamen, vt idm constructa destruantur, sed imposterum reformanda, faciem formamque recipiant cōsimilem. Itaut Hierusalem nouam Ecclesiæ nostræ repręsentent in terra, earumque participatio sit in id ipsum.

At vt in prædictis vniformitatem exoptamus, sic in ipsis volumus multiplicem virtutum varietatem coruscare.

Et quod attinet ad Sacrarium Ecclesiæ, locus & mundus sit, & instructus, munda sint omnia, recondita, mundus sit custos, animo, & corpore.

Æditauus, seu Sacrista, & Custodes Ecclesiæ Cathedralis, muneris sui partes in Cæremoniali Episco-

porum deſcriptas teneant.

Illud curent, ne intra Sacriſtiam Laici immorentur.

Arceant vana colloquia, riſus, dicteria, & maledicas obtrectationes.

Qui Canonicis inſeruiunt, operis ſui partibus actis, extra Sacriſtiam migrare debent.

Clerici Sacro modeſtè deſeruiant, & rectè pronuncient verba ad eorum munus ſpectantia.

Canonicis Præfectis morem gerant.

Studeant Sacriſtæ, vt Sacerdotes celebraturi, opportuno tempore, & ordine, exeant.

Vt Capellani, vel qui eorum locum, & perſonam, permiſſu Noſtro ſuſtinent, Sacrũ faciant, ſicut ex Altarium fundatione, vel Eccleſiæ conſuetudine tenẽtur.

Neminem permittant per Eccleſiam deambulare, vel eleemoſinas quærere, dum Sacra concio, & lectio, ac Diuina habentur.

Curent, vt ſtatis horis dentur ſigna congrua Campanarum, quoties officia erunt celebranda, vel concio, aut lectio habenda.

Turrim ſuam Campanarij cuſtodiant, & præter neceſſitatem minimè aditum permittant.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ.

SAcroſanctum Miſſæ Sacrificium, & alia Diuina Officia in Eccleſia, vel Oratorio celebrari prohibentur, quoties ipſa Eccleſia, vel Oratorium Eccle-

ſiaſti-

ſiaſtici ritus benedictione ſaltem caruerit.

Benedicere tantum poterit quilibet Sacerdos auctoritate ſibi à Nobis tunc delegata.

Cum autem conſecranda erit Eccleſia, non ab alio, quã ab Epiſcopo, ſecundum Romani Pontificalis præſcriptum, conſecrari poterit.

Dos competens, ac perpetua eidem Eccleſiæ conſtituatur, & cum effectu per publicum documentum aſſignetur.

Conſecrationis peractæ monumentum fiat, in marmoreis lapidibus Eccleſiæ.

Anniuerſaria Cõſecrationis dies agatur ſolemniter.

Liber conficiatur in quo Eccleſiarum Conſecrationes, & Benedictiones ſcribantur, qui in Archiuio Epiſcopali reponatur.

Poſt Conſecrationem, nihil noui ædificij fieri poterit in Eccleſia conſecrata, nobis inconſultis.

Violata etiam, aut polluta Eccleſia, quæ conſecrata fuerit, vnius erit Epiſcopi eam benedicere, & reconciliare.

Polluto Cœmeterio, nullus reconciliet, niſi de facultate noſtra.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

DEcet Eccleſię Sacerdotes, & Clericos abiectis rerum temporalium curis, fideles fieri Eccleſiaſtici Patrimonij diſpenſatores; propterea ſatis noſtrorum Clericorum officio factum putamus, ſi admini-

niſtra-

ministratores huiusmodi peculij se potius, quam Dominos præbeant, vt si quæ Altari seruientes de Altari sumunt, ad vitæ necessitatem conferant, & quæ supersunt in Ecclesiasticos vsus à Sacris Canonibus prefinitos erogent, & præsertim pauperibus distribuant, vt inopi subministrantes, ipsi veluti pauperes viuant voluntarij.

Euangelici Ministri forma est constitui super familiam Dei, vt det illis cibum: Pastor non sit sicut ouis, erecta ille in Cœlum facie gradiatur, oues pabula queritent. Ecclesiæ bona non ad manus, sed ad pedes illius perueniant.

Quod tamen habent Ecclesiæ patrimonium, fideliter custodiant, vt quæ sunt Ecclesiæ sub omni sollicitudine, Conscientia bona, & fide non ficta, quæ in Deum est, conseruentur. Domos reficiant, agros curent, Prædia siue Vrbana, siue rustica meliora efficiant, & ne quid de peculio Christi pereat, Bonorum omnium tàm mobilium, quàm immobilium, redditúum, vsuum, quorumcumquè iurium ad prædictas Ecclesias, seu pia loca quouis modo pertinentium, conscribant indicem, adiectis etiam bonorum, & iurium locis, & locorum appellationibus, iuxta formam à Nobis tradendam.

Eiusdem Indicis exemplum tabellario nostro dimittant, & alterum penes se retineant. Quod si bona aliqua recenti fidelium pietate accederent Ecclesiæ, vel vetera aut immutarentur, aut perdita recuperarentur, ea statim catalogo prædicto superaddantur,

tur, dimisso pariter (vt supra dictum est) exemplo.

Sed amplius, Mensæ nostræ Episcopalis bona singulis annis à nostro Commissario sæpe visitari mandamus, vel ab vno ex Canonicis à Nobis deligendo, hoc enim studio, Ecclesiasticorum bonorum incolumitati valde prospicere cupimus. Visitatores, re peracta, scripto deferant, quæ curanda repererint, suamquè dicant sententiam.

Haud minus studiosè Capituli, ac præbendarum bonis consuli præcipimus, iuxta præscriptum eiusdem Capituli.

Et vt facilius iura Ecclesiarum conseruentur, mandamus de prima solutione canonis, seu alterius responsionis nouo Beneficiato, vel cuicumquè prouiso facienda, Instrumentum solutionis fieri, & apud acta Cancellarij describi.

Sub eadem ratione Beneficiati, lapides marmoreos apponant super domibus, & ædificijs ad eos iure proprietatis, vel directi dominij spectantibus, vt quocumque tempore res ipsa, vti ad Ecclesiam pertinens, agnoscatur.

Bona Parochiarum, & Beneficiorum quorumcumquè, ac Titulorum non exemptorum, à Vicarijs foraneis sæpè visitentur, quibus ipsæ Parochiæ, & beneficia subsunt Ecclesiarum verò, quarum Parochi sunt Vicarij, ab antiquiore illius Vicariatus Parocho, siue ab alio à Nobis deputando.

Visitatorum autem quisquè referat in prima Congregatione coram Nobis habenda, quidnam ad Eccle-

clesię

clesiæ vtilitatem agendum putauerit, & super bonis titularium simplicium, nos quoque faciat certiores.

Et quia manifestas cunctis esse oportet, & res Episcopi, & Ecclesiæ, vt nec Ecclesia detrimentum patiatur, nec Episcopus in suis, pro Ecclesiæ bonis proscribatur. Statuimus, vt mobilia omnia tàm in Episcopali Palatio Ciuitatis, quàm in ruralibus posita, in commentarium à Cancellario nostro redigantur, & ea quidem, quæ primum ibi reperiebantur, cum ad huius Sanctæ Ecclesiæ regimen vocati fuimus.

Ilis sic descriptis, Episcopatus signum imprimatur. Inuentarij exemplum ad Archiuium nostrum deferatur; Prototypus maneat in actis nostri Cancellarij.

Ad hæc, hortamur vniuersos ex Clero nostro, vt in fructuum prædiorum suorum distractione, mites se, & publici boni studiosos prębeant, sic enim benedictionē accipient à Domino.

Nihil verò penitus de Ecclesiæ Patrimonio distrahant, nihil negligant, nihil minui, vel vsurpari permittant; turbationes, & violentias Nobis significent, & attentantibus, vt ab huiusmodi iniquitate se abstineant, districtè in Domino præcipimus.

Et quoniam alienationes, & locationes in propinquos factæ, suspectæ fidei iudicantur; ideo statuimus, vt nemini Ecclesiasticum beneficium possidenti liceat, nulli propinquo suo intra tertium gradum, aut ad quodcumquè temporis spatium, Ecclesiæ bona locare, aut in emphyteusim concedere, etiam cum suppositione ficta alterius personæ, vel nominis, nisi de euidenti

denti

denti vtilitate eiusdem Ecclesiæ, pręter alia iuris requisita, legitimè appareat, sub pœna nullitatis, & alijs arbitrio infligendis.

Nemo deniquè audeat, iuxta Sacri Concilij Tridentini Decretũ, bona Ecclesiæ, repræsentata pecunia, in successorum fraudem, & detrimentum locare, vel cõducere, & maximè ad diuturnum tempus. Si quis autem non paruerit, sciat locationem factam corruere, etiam pro tempore permisso iuxta Canonicas sanctiones.

Et vbi in alienationibus Apostolicum beneplacitũ desideratur, nullus audeat quascumquè alienationes facere dictorum bonorum, traditis possessione, vel dominio, (saluo, vel reseruato beneplacito Apostolico) putans forte sub hac cautela validè contrahere.

Adhuc enim possessio pro nulla habetur, nec fructus interim lucratur acquirens, imo ipsę alienationes nullæ, & irritę fiunt, & contrahentes alijs pœnis subijciuntur, iuxta Sanctæ Mem. Pauli Secundi, & aliorum Summorum Pontificum Constitutiones.

Vbicumquè Ecclesiasticus aliquis Beneficiatus diẽ suum dormitionis in Domino obierit, mandamus, vt Canonicus Præfectus Spolij pro tempore existens, in Ciuitate, & Vicarij Foranei in suo Vicariatu, omni studio contendant recuperare scripturas quascumquè, quæ ad Ecclesias vacantes pertinent, ad finem eas fideliter tradendi successoribus.

DE LEGATIS PIIS.

LIcet alias Edicto nostro speciali de Legatis Pijs persoluendis satis prospexerimus; quia tamen ob nonnullorum contumaciam,& (quod deterius est, nostrumquè animum torquet) cum eorumdem animæ perditione, nec non defunctorum ad pias causas disponentium contemptu, & spirituali iactura, adhùc dicta legata non persoluuntur; ideo Decreto nostro Synodali, hoc idem necessarium officium, vt pia legata persoluantur, repetere constituimus.

Primò itaquè scribæ, & Notarij omnes, & quicumquè testamenta, codicillos, aliasquè tabulas conscribentes, & de illis rogati, aut penes se habentes dicta testamenta, & scripturas rogatas de similibus relictis, & Legatis, ea nobis omninò denunciare non omittant, imò excommunicationis latæ sententiæ pœnam eis indicimus, nisi infra terminum trium mensium, qui à die publicationis huius nostræ Synodi peremptoriè intelligatur assignatus, Cancellario nostro tradita etiam particula testamenti, seu alterius cuiusuis dispositionis, etiam inter viuos, significauerint; præterquam si ante huius Synodi publicationem ea denunciassent.

Subeant eandem pœnam, qui imposterum testamenti tabulas, aut cuiuslibet alterius dispositionis, cum similibus relictis, & legatis scripserint, & rogauerint, nisi intra tres menses à die mortis Testatoris, eadem legata renunciauerint vt supra.

Hoc

Hoc noſtrum Synodale Decretum bis à Parochis in anno, populo Vulgari ſermone recitandum imponimus, videlicet in feſtis Natalitijs, & Paſchatis Reſurrectionis Domini.

Poſt denunciationem factam dictorum legatorum, ea ſtatim in librum à Cãcellario, & Notarijs noſtris referantur, ne memoria illorum intereat.

Nullus deinde, quæ iure legati alicui vſui pio addicta ſunt, ex teſtatorum diſpoſitione, commutare audeat, & ad alterius æquè pij vſum transferre,

Amplius, quæ pauperibus relicta ſunt, nullus ſibi vſurpet, aut attribuat, quia ad noſtram Epiſcopalem curam, munusquè pertinet cauere, ne defunctorum pijs voluntatibus fraus aliqua fiat, & quod ſecundum eorum mentem ipſa legata exequutionem habeant.

Demùm, qui legata ſoluere debent, ea prompto animo præſtent, nec differant ſub quouis prætextu ea perſoluere, ſub pœnis Edicto noſtro comprehenſis; noſcantquè omnes noſtræ benignitatis argumenta, qui monitionibus primo, deinde iuſſis, huiuſmodi præſtandam ſatisfactionem pro animarum ſalute toties repetimus, ſibi præcauentes, ne forte aliquando ſeueram ſubeant correctionem, & temporalibus etiam damnis subijciantur

DE ELEEMOSINIS, ET QVÆSTIBVS PAROCHORVM.

Licet in pluribus harum Constitutionum partibus, pietatem in nostris Clericis, & alijs viris Ecclesiasticis laudemus; quæstum autem valde damnemus, non ab re tamen putamus, particulari constitutione, propositi nostri sententiam in re tanti momenti repetere.

Maximò siquidem mærore afficeremur, quoties Clericorum, ac Sacerdotum animos auaritia deprauatos, & lucri cupiditatibus inhiantes experiremur.

Sanè quamuis Parochus omnibus alijs virtutibus fulgeret, deficiente pietate, ac misericordia, suarum omnium virtutum deficeret triumphus.

Oliuis, & palmis pueri Hierosolymæ, Christi Domini triumphum celebrarunt, quia oliua pietatis palmam refert victoriæ, & eleemosina abiecta non potest victoria coronari.

Sacramentorum, & verbi Domini ministris sordidum quęstum prohibemus; ita enim verbum Dei adulterari videtur, eaquè pacis iura, quæ Christus Dominus in Cælum ascendens, gratuito hęreditatis beneficio reliquit, indecoro fænore dehonestantur.

Eadem ratione collectarum discos, vel Arculas in Ecclesijs, aut Oratorijs sub nostra potestate apponere, prohibemus, absquè speciali nostra facultate; & appositas omnino remoueri.

Om-

Omnes igitur has, ac similes corruptelas præsenti lege abolemus, & si Parochi, & alij ad quos spectat, sub quouis prętextu huic nostro decreto minimè paruerint, graues pænas arbitrio nostro infligendas patientur.

Concedimus autem dignis ex causis in Ecclesia Cathedrali arculas pro eleemosinis pauperum Ciuitatis; item ad cultum Altaris B. Virginis ad Columnam.

Item Altaris inferioris B. Virginis, & Sanctissimi Sacramenti.

DE PRIMITIIS, ET DECIMIS.

VEtustissima est Decimarum, & Primitiarum soluendarum consuetudo, Diuino iussu imperata, Sacris literis, & vnanimi Sanctorum Patrum consensione approbata.

Certè Tridentini Concilij Decreto cautũ est etiam, non esse ferendos, qui varijs artibus Decimas Ecclesijs obuenientes subtrahere moliũtur; aut qui ab alijs soluendas temerè occupant, & in rem suam vertunt, cum Decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediuerint, res alienas inuadant. Vnde ibi Sancta Synodus pręcipit omnibus cuiuscumquè gradus, & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, vt eas, ad quas de iure tenentur imposterum Cathedrali, aut quibuscumquè alijs Ecclesijs, vel personis, quibus legitimè debentur, integrè persoluant; qui vero eas aut subtrahunt, aut

im-

impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur.

Proinde illis, qui Decimam soluere debent (quæ iuxta consuetudinem huius Diœcesis debetur Episcopo, sicut quarta Parocho) iniungimus, vt ab omnibus, ad quos spectat, fideliter, & libenter præstetur.

Qui illam colligunt, iustè, & modestè se gerant, statutisquè, ac consuetis vtantur mensuris.

Et vt fraudes omnes, & dissidia euitentur, mandamus, ne aliquis audeat ex agris mouere, & aliò ducere frumenta, aut quascumquè segetes, vinum, aut quoduis aliud, de quo debeatur Decima, nisi vocato prius loci Decimatore, & iuxta locorum consuetudinem.

Is moram minime faciat, sed intra vigintiquatuor horas accedat ad accipiendam Decimam.

Et si Decima solueretur in area, prout plerumquè accidit, in Fabis, Ciceribus, Faseolis, Milijs, ac similibus, quæ ad aream ducuntur, ea pariter inde non amoueantur, nisi vocato prius, vt supra eodem Decimatore.

In custodiendis Vuis, Coloni maiorem curam adhibeant, ne aliquid Dominis, & Decimæ pereat, in ea autem Decima exsoluenda, volumus Decimatorem, nec vuas deteriores, nec pretiosiores, aut meliores eligere, sed cum humanitate de vtraquè specie Decimam percipere.

Caueant etiam Coloni in nostra Diœcesi non habitantes, terras tamen in Diœcesi habentes, ne fruges,

De-

Decima non soluta, aliò exportent; vt enim dolose agerent, nec tamen iura Ecclesiæ minuerent, quæ agrorum possessores sequitur, ita graues pœnas à nobis irrogandas subirent.

DE ECCLESIASTICA IMMVNITATE TVENDA.

ZElus Domus Domini Apostolicæ sollicitudinis viscera semper comedit, ne forte opprobria illi exprobantium super eos cadat, quos Deus Ecclesiæ suæ præsidere decreuit: quod si inanium Deorum cultores loca quædam habuerunt, veluti Sacrosancta, à quibus neminem vi abducere fas erat; multo sanctius diuinæ, & humanæ leges Christianis Ecclesijs, in quibus Trinus, & Vnus Deus adoratur, hoc ipsum tribuerunt, vt, qui ad eas confugiũt, nulla vi extrahi possint.

Huiusmodi immunitatem tueri, pręcipuum Episcoporum officium esse Pontificum Summorum decretis sancitum est.

Gregorius enim X. in Lugdunensi Concilio statuit, vt Ordinarij locorum de Immunitate Ecclesiastica sanctiones obseruari faciant.

Arguit Bonifacius Octauus Ecclesiarum Prælatos, qui scandalis, & abusionibus Immunitatem prædictã lędentibus acquiescunt, inobedientesquè depositionis pœna coercet.

Damnat similiter iuxta præterita Concilia Clemens Quintus, & Benedictus XI. eos Prælatos, & Clericos, qui

qui Ecclesiasticam immunitatem, & libertatem defendere negligunt.

Clamat Nicolaus Pontifex periculosum esse diuinis tractandis rebus suę cedere potestati, laicisquè periculosius ijsdem diuinis rebus manus inferre.

Alia plura Cœsareæ, & Pontificiæ Constitutiones sanciuere.

Si quis igitur in talia loca Sacra aliquid attentauerit, confestim Ecclesiastici Sæculares, & Regulares omnes, quorum Ecclesię illata vis, & iniuria fuerit, certiores Nos reddant, causamquè instructam (si fieri potest) transmittant.

Et cum ad immunē locum quis confugerit criminosus, & foro iudiciali obnoxius, statim secretò Nobis renuncient, vt, re maturè in Domino perpensa, quid statuendum sit dignoscere possimus absque violatione immunitatis.

DE LAICIS INTRA PRESBYTERIVM NON ADMITTENDIS.

MAndamus hac præsenti Constitutione Laicis omnibus vtriusquè sexus, vt dum Sacra, Diuinaquè celebrantur, extra Presbyterij, & Altaris se contineant septa.

Nam & vetus fuit mos, Clericos à Laicis in Ecclesia cancellis separari, ne forte illis obijci posset, quod Dominus per Ezechi.

Fabricati sunt limen suum, iuxta limen meum.

Nul-

Nullus itaquè cuiuscumquè ſit conditionis, ac prę-rogatiuæ audeat ſellas, aut ſcamna circa Altare, vbi Sacra peraguntur officia, per ſe, vel per alium deferre.


Sæpe enim accidit, vt Sacerdotes, & Clerus Diuina obeuntes, in eas redigantur anguſtias, vt minimè poſſint expeditè, & honorificè Sacra officia celebrare, & quod deterius eſt, alij, vel irreligioſi, vel impij, eodem loco impudenter peccare non erubeſcunt, vbi iuſtificari oportet coram Domino.

Multo minus Laici Sacriſtiam Eccleſiæ Cathedralis intrare audeant, iuxta noſtrum Edictum, nec dum Diuina celebrantur, inter Canonicos, aut alios Eccleſiæ Clericos, & Præbendatos, in Choro ſtare, vel ſedere, occupare ſtalla, ſeu loca Dignitatum, Canonicorum, Clericorum, & Præbendarum in eodem Choro, vel Presbyterio.

Similiter quoquè in Concionibus Laici prędicti non occupent locum Capituli, aut Cleri.

Parochi omnes Cancellis, vel ſcamnis ſepiant Altare, quoties ſolemniter ibi Sacra, ſeu Diuina officia facere contigerit, & intra illud ſeptum non audeant Laici inferre pedem, & minus alia præſtare impedimenta circa Altare, in quo celebratur, ſub pœnis arbitrio.

Hoc noſtrum Decretum Parochi, & Rectores omnes, quoties expedire iudicauerint, Populo repetant, ne quis ſcienter contraire nitatur.



PARS QVARTA

DE CANONICIS.

CAnonici inferioris Cleri ſpeculum, exemplar, Duceſquè ſunt, qui exteriùs, ſe interiuſquè ſic componere debent, vt cæteros exemplò dirigere, ſuique imitatione regere valeant.

Lętamur autèm ſummopere, Canonicos noſtros plenitudinem vocationis ſuæ piè, ac religioſe ſeruare, nihil vacuum, nihil minus oſtendere; ſed ſe ſe totos exhibere Deo in omni ſtudio, puritate, & humilitate.

Non ab re tamen putamus in ijs, quæ ad eorum officia pertinent, pauca nõnulla in memoriam reuocare.

Itaquè, ne Chorus Diuinorum officiorum tempore aliquando deſtituatur, mandamus plures Canonicos eodem tempore Chorum non exire ad celebrandum, niſi ſeruitium Eccleſiæ aliud requirat, Præfecti Chori arbitrio.

Canonicis tunc exeuntibus ad celebrandum, Capellani abſtineant, vt magis Chori ſeruitio, & Eccleſiæ conſulatur. Di-

Dignitates, & Canonici, quo decet oris, & Vestium Sacerdotalium decore celebrent.

Annulum tamen deponant.

Oneribus missarum, quæ habentur in fundatione Canonicatuum, seu beneficiorum, plenè satisfaciant.

Si occurrant duę missæ in Ecclesia, altera de festo, altera de feria, veluti in Quadragesima, & similibus, obseruetur rubrica tertia missalis.

Die, quo Anniuersarium solemne cum tribus Nocturnis, & Missa celebrari debet, horis etiam tertiæ, sextæ, & nonæ recitandis in Choro, post primam Canonici intersint.

Absentes punctatione notentur.

Missæ conuentuales de die in reliquis diebus cantentur, horis præscriptis à Rubricis Missalis.

In Diuinis officijs obeundis, & missis solemnibus, ac priuatis, & in Ecclesiasticis omnibus functionibus non discedant à Rubricis Breuiarij, Missalis, Cæremonialis Episcoporum, & Pontificalis Romani.

Et vt Diuinus cultus magis adolescat, laudabilem, & antiquum morem Ecclesiæ nostræ Cathedralis ad vsum reuocantes,

Decernimus, vt in festis Natiuitatis, & Resurrectionis Domini, Sancti Georgij, nec non Circumcisionis, & Pentecostes augeantur distributiones, perinde vt Capitulum decernet.

Duę præterea partes Canonicorũ semper resideant.

Absentes verò distributionibus gaudeant, qua ratione indulsit summus Pontifex Clemens viij. S.M. per

duos menses absentię, & non vltra.

Amplius laudabile, & decorum valde iudicamus, vt pręsentes in Choro Canonici cũ alijs psallãt alta, & cõsona voce, sic enim plenius suæ obligationi satisfaciẽt.

Nobis sane celebrantibus, vel Pontificalia quæcumquè exercentibus in Ecclesia Cathedrali, assistant omnes, nec recedant, nisi functione absoluta.

Extra Ecclesiam (in Ciuitate tamen) adsint illi, qui in Ecclesia Cathedrali solent assistere, & ministrare.

Qui ex Canonicis eleemosinis præsunt, curent librũ haberi à Sacrista, in quo describantur accepti, & expensi rationes dictarum eleemosinarum.

Hæ non nisi in causas destinatas conuertantur.

Similiter Præfecti fabricæ, sacristię, Capellæ B. Mariæ Virginis de Columna, & Spolio, hæc eadẽ impleãt.

Præfectus quoq; Musicæ, suũ exactè munus expleat.

Is suo tẽpore mercedes vnicuiq; ex Cãtorib' de more solui à Capituli Camerario procuret, iuxta cuiusquè salariũ, itaut pars vnius vacãs, alijs minimè accrescat.

Non prætermittant Canonici præstare iuramenta, qui ratione officij, vel alia de causa iurare tenentur.

Dũ aliquis admittitur in Canonicũ nihil exigatur, quod simoniã sapiat, iuxta s. Conc. Tridentini decreta.

Domus Canonicales, & Mansionales Ecclesiæ Cathedrali proximæ, non locentur habentibus mulieres, seu cauponam exercentibus, & in hoc seruentur ordinationes Capituli.

Foribus Canonicæ custos presit, cũ salario cõsueto.

Demum Canonici suarum præbendarum fructibus

vtantur quasi alienis, fundum verò custodiant vt proprium.

Mutuò se diligant, & sermones vnanimi, & concordi conferant studio, iuxta illud Psal.

Suscipiant Montes Pacem Populo, & colles iustitiã, vt Diuus interpretatur Augustinus.

Pax est Christianæ Religionis stabile fundamentũ, & Altaris Dominici Cælestis ornatus, ait S P. Chrysol.

DE CANONICO PÆNITENTIARIO.

SAnè si præcipuum confessariorum officium iudicatur, peccantes, & criminosos ad viam iustitiæ reuocare, & vt Sanctus Petrus Apostolus docuit, fideliũ animas saluare, & operire multitudinem peccatorum, hoc idem multo aptius, ac dignus Canonicũ Pænitentiarium implere consentaneum est.

Eò igitur mentem, & animum vertat, vt in spiritu lenitatis, & mansuetudinis peccatores suscipiat, & ad malè actæ vitæ pænitentiam benigna monitione traducat,

Et quoniam secundum facultates per Nos Pænitentiario, pro tempore tradendas, à censuris, & culpis à Nobis reseruatis maiora audiet crimina, in decernendis pænitentijs modum tenere debet, & cuiusq; pænitentis animum, & ingenium sane perpendere, ne alij forte nimia facilitate licentiores ad peccandũ efficiãtur, alij nimia seueritate deterriti in mærorem, & desperationem adducantur.

His

His præsertim medicamentis suos veluti curet infirmos, primò scilicet conscientiæ munditiam, & tranquillitatem suadeat, sine qua nec Deo placere possumus, nec tutò inter ęrumnas mundi quiescere, nec beatè vitam ducere.

Inferat eorum animis, confidentiam de Diuina misericordia, absquè operibus infructuosam esse.

Et si quempiam peccatorum pondere pressum, desperati fortè animi agnosceret, per officiosa verba, imò etiam per lacrymas reducere illum contendat.

Lacrymis quippè dignior est, qui cadendo, iacet post casum.

Amplius Volumus Pęnitentiarium nullis alijs se dedere negocijs, vt frequenter pænitentibus paratum præbere se possit.

Festis solemnibus in Quadragesima, Aduentu, Quatuor Temporibus, Paschate, & eiusmodi, nec nō feria sexta cuiuscumq; hebdomadę, & quandocumq; vocatus fuerit, sedeat in suo confessionali, tanquam in dignissimo Tribunali, supremus Iudex sententiam pronunciaturus.

Tamdiù maneat, quamdiù pænitentium frequentia postulauerit.

Superpelliceo, & Cappa induatur, stola superas sumpta, vt cum dignitate Christi vices, suumq; iudicium sustineat.

A criminibus reseruatis non absoluat, nisi integris auditis confessionibus.

DE

DE CANONICO THEOLOGO.

PRæbendam, cum onere Sacram explicandi ſcripturam, obtinens Theologus, meminerit hoc ipsũ nobile officium, ac miniſterium per ſe ipſum implere debere.

Tenebitur Sacram explicare ſcripturam loco, & tempore à Nobis deputandis.

Quam autem diuinæ ſcripturæ partem perlegere debeat, arbitrio Noſtro relinquitur.

Sicut etiam quis ſubſtituendus ſit, detracta etiam portione fructuum, loco illius, qui ægritudine aliqua inſanabili, vel alio impedimento perpetuò detentus fuerit.

Conſilijs ad quæſtiones conſcientiæ ſpectantibus, præſidebit ſingulis menſibus.

Nullis alijs ſe implicabit negocijs, vt honorificum adeo, & laborioſum facinus diligenter poſſit implere.

Doctrinæ ſplendorem morum cum innocentia ſociabit, vt vnde Chriſtiana Dogmata hauriuntur, inde virtutis exempla petantur.

Illud quoque prę ceteris attendet, vt in hoc munere ſubeundo, non Concionatoris, ſed Lectoris exerceat partes.

Quod vt commodè præſtet, veram primò, & ingenuam Sacrarum Scripturarum ſententiam explorabit; Si enim (ait Sanctus Auguſtinus) ad Sacras Scripturas admiſſa fuerint, vel officioſa mendacia, nihil in eis rema-

manebit auctoritatis.

Deinde Sanctorum Patrum interpretationes legendo sequatur.

Hæreticorum errores patefaciat, & falsa dogmata euertat, sitquè Vox illius contra eos, quasi ignis, qui comburit siluam, & sicut flamma comburens montes.

Non tantum scripturas, sed etiã Apostolorum traditiones sequatur.

Demũ sicuti Populum lectionibus Sacræ Scripturæ, vt intersit, monemus, ita Clerum omninò assistere iubemus, non dubitantes hinc refici, & instaurari animos, & vniuersas in eis imprimi virtutes.

DE MANSIONARIIS.

VT grauissimo malo, quod in Ecclesia nostra Cathedrali, ni præsentissimo remedio occurratur, serperet in dies magis, ac magis, maximo cum diuini cultus, & mutuæ pacis, quę Clericos decet, detrimento, medicinam adhibeamus.

Operæ pretium est in memoriam Mansionariorum munera, & onera ab ordinationibus Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & Prædecessorum nostrorum, etiam in Synodis eis iniuncta reuocando, & præcipue, vt diù, noctuquè iugiter, veluti stationarij Ecclesiæ milites, in Choro concinnè, & figuratè canendo, Diuinis intersint, nulli omninò venia absentiæ data, nisi cum iura, vel prædicta Ecclesiæ nostræ decreta permittunt, & de li-

de licentia Episcopi, & Capituli, vel Archipresbyteri, hebdomadarijs exceptis, quibus omninò venia deneganda erit.

Insuper cum ad Ecclesiæ decorem, ac diuini cultus splendorem augendum, fel. record. Prædecessor Noster Reuerendissimus Episcopus Fontana decreuerit, Missam Conuentualem quotidiè celebrandam, cum ministris indutis, vbi priùs per solos Sacerdotes sine ministris celebrari consueuerat, isquè, triginta ab hinc circiter, & pluribus annis citra, laudabilis vsus inualuerit, vt in duplicibus, semiduplicibus, vigilijs, alijsq; diebus ieiunio donatis, nec non infra octauas, Mansionarij, Diaconi, & Subdiaconi, dum in Choro his absentibus cantus sacer maximè deficeret, per substitutos, soluta congrua eleemosina ex Clero, vt plurimum ex Collegio Capellanorum electos munus hoc obirent, alijs verò diebus feriatis, & Sanctorum simplicium per se ipsos Capellani.

Super his quidem, donec aliter à nobis fuerit sancitum, nihil duximus innouandum, sed prȩscriptam cōsuetudinem omninò obseruandam.

Vt tamen certa lege ista fiant, & vt omne periculum cuiuscumquè perturbationis ab Ecclesia, quȩ Domus Dei est, arceatur, adhibito Cōsilio admodū R. R. Canonicorū fratrum nostrorum, auctoritatequè nobis attributa à Sacro Concilio Tridentino cap. *12.* sess. 24. nec non à Sacris Canonibus.

Ecclesiam in sua possessione, vel quasi manutenentes decernimus, vt Mansionarij, Diaconi, & Subdia-

coni Choro, & cantui vna cum alijs diligendo iugiter intenti, prædictis ſtatutis diebus, per Miniſtros, Diaconum, & Subdiaconum ſubſtitutos inſeruiant, ſoluta ſingulis miniſtris, ſingulis vicibus eleemoſina bononenorum trium cum dimidio, quam ſolui volumus (ipſis ſtatim non ſoluentibus) à Camerario Capituli ex diſtributionibus prædictis Manſionarijs alioquin debitis.

Vt autem non ſint incerti miniſtri, ſed expediti, & certi. Volumus ſub initium cuiuslibet anni à ſingulis Manſionarijs, Diaconis, & Subdiaconis Vicario noſtro, & Archipresbytero Cathedralis indicari ſcripto, quos quisquè elegerit ſubſtitutos, ſiue ex Clero vniuerſo, ſiue ex Collegio Capellanorum.

Quod ſi contingeret tot haberi non poſſe voluntarios, qui eo anno ſufficere in miniſtrando, vt ſupra, poſſint, ſeu habitos ob varia impedimenta occurrentia non poſſe debitis temporibus intereſſe; tunc decernimus totidem, quot defuerunt ſubſtituti Manſionariorum (ne Eccleſia debitis defraudetur obſequijs, & Diuinus cultus vllo caſu, aut aliquo pacto minuatur, ſeu præpediatur, & vt plenius, quantum cum Domino poſſumus, prouideamus) ad nutum Archipresbyteri, vel alterius in ordine ex D.D. Capitularibus, Præfecti Chori, abſente dicto Archipresbytero, ex Capellanis Eccleſiæ aſſumendos.

Præterea Altiſſimo Dei famulatui vberius conſulendo mandamus, vt pariter ſub initium cuiuslibet anni, à Maſſario Cappellanorum deſcribantur magis idonei

in

in Tabella Vicario nostro Generali, & Archipresbytero tradenda, vt Chori Præfecto, quinam ex Capellanis aptiores in diuinis ad præstanda prædicta sint munera, semper innotescat.

Quibus Capellanis descriptis, seu alijs, vt supra, in subsidium operaturis, soluatur eadem eleemosina bononenorum trium cum dimidio à Camerario Capituli ex distributionibus debitis Mansionarijs, Diaconis, & Subdiaconis.

Declarantes vltra dictam eleemosinam (cum Altari inseruiendo ob Ecclesiæ necessitatem, verè dicantur Diuinis interesse) distributionibus missæ Communis Capellanorum eos gaudere debere.

Et hæc omnia sub pænis arbitrio nostro pro qualitatè culpæ negligentiæ, & scandali omni feria infligendis.

Cæterum, quia valde est indecorum Cathedralis Ecclesiæ Mansionarios, huc illuc cursitare, pretioq; ac mercede, quam ex musico cantu reportant, suam, & Ecclesiæ dignitatem, & maiestatem diminuere; propterea imposterum nulli licebit Mansionario alibi, quàm in sua Ecclesia quibuscumquè musicis cantibus operam dare, nisi de licentia nostra, seu Vicarij nostri Generalis, sub pœnis arbitrio.

DE CAPELLANIS.

QVi Altare aliquod, aut Capellam legitimè in Ecclesia Cathedrali obtinuerint, à Collegio Capellanorum minimè repellantur.

Neque tamen omnes sine delectu cooptandi erunt, sed illi, qui post prçsentationem in Capitulo subsequutam, Collegij eiusdem iudicio, eiusquè Canonici interuentu, ac præsentia, quem ad id Capitulum ipsum designauerit, reperientur idonei, & qui Chori munera, suiquè officij partes rite, ac rectè implere poterunt.

Arbitrium, & examen, vbi factum fuerit, ad Chorum, Collegiumq; admissi intelligantur, ijsquè emolumentis potiantur, quæ admissionem consequuntur.

Examen non nisi ante tres dies à petitionis tempore perficiatur, vel etiamsi fraude aliqua, odio, aut iniustitia aliqui ex Capellanis non admittantur, ius omne probationis ad Nos pertinere, & deuolui declaramus.

Nequè verò, priùs quam ad Distributiones admittantur, quidpiam, quod simoniam redoleat, erogare compellantur, sed statim atquè Choro inseruire cçperint, distributionibus, vt antiqui Capellani, gaudeãt.

Capellani ergo in Collegium recepti, & ad distributiones massæ magnç eiusdem Collegij admissi Choro omninò inseruiant, psallant cum alijs, & quæ ad Diuina pertinent, tunc plenè adimpleant.

Nec gaudeant Distributionibus in mensibus absentiæ, quibus vacatio conceditur, nisi pro tempore eis in-

indulto à S. M. Clemente Octauo Summo Pontifice.

Obedientiam, & reuerentiam Chori Præfecto præstent præsentes.

Anniuersaria, & missas, iuxta Prædecessorum nostrorum præscriptum, & Tabellas celebrent, vt muneri suo satisfaciant, & Defunctorum voluntati, & animarum quoq; saluti piè succurratur.

Præterea Capellani Beneficiati in Ecclesia Cathedrali impleāt onera in eorum fundationibus iniuncta.

Qui verò onera non habent ex fundatione, vel de ijs non constat, ea præstent, quę ex ordine Tabellæ, & consuetudine præstare debent.

Idq; non solum ratione numeri missarum, verum etiam applicationis, & celebrationis.

Et quidem ad Altare proprij sui Tituli, dum tamen hoc ipsum impositum sit in fundatione.

Celebrent missam, maximè diebus Festis per se ipsos, qui ex fundatione per se celebrare debent, nec alibi sacrum faciant sub pœna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrendæ, nobisq; reseruatæ.

Et si fortè per se ipsos celebrare non teneantur, impleant suas partes per substitutos.

Hi autem Sacrum faciant eodem modo, quo substituentes facere deberent, sub eadem pœna.

Pro horum obseruatione, Tabellam in fine Synodi apponendam studiosè obseruent.

Fideles Nostri suffragia pro Defunctorum animabus libenter impartiantur, quò enim magis est necessarium officium, tantò esse debet promptum, & beneficum illorum auxilium. DE

DE SACRIS RITIBVS, ET CÆREMONIIS.

PÆnas diras indixit olim Deus in Populum ſuum, niſi mandata, & Cæremonias cuſtodiret, Moyſiq; prçcepit, vt populo oſtenderet ipſas Cæremonias, & ritum colendi; Tanti faciens ritus, quibus in antiquo templo voluit ſibi cultum exhiberi.

Horum rituum, & Sacrarum Cæremoniarum diſciplina eò dignior in Eccleſijs Catholicæ Religionis tenenda eſt, quantò legis gratiæ Templa ſunt præſtantiora, in quibus nimirum, Deus ipſe in ſua maieſtate adoratur.

Hoc igitur officium non inter poſtrema Noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis repoſuimus, vt rite, & concinnè Sacra tractentur, Diuinaq; obeantur officia.

Itaquè decernimus, vt in Cathedrali noſtra vnus ſit Sacrarum Cæremoniarum Magiſter, ad quem exacta huius Miniſterij eruditio & exercitatio pertineat, itaut in omnes animaduertere poſſit, quamuis experimẽto ipſo modeſtè, ſubmiſſaq; voce debeat corrigere, & ante (ſi fieri poterit) commonere.

Magiſter in Coadiutorem, vel ſubſtitutum, Clericũ, & ſi fieri poteſt, Diaconum aliquem ex Alumnis Seminarij proponat, eligendum; ſin minus ex alio ordine, à Nobis tamen approbandum, ætate, diſciplina, & corporis habitu aptiorem, in quo actionis elegantia, officijq; decus præfulgeat. Hic abſente Magiſtro mu-

munera illius fubibit, præfente verò ea procurabit, quę idem magifter iubebit.

Magiftri præcipuumq; erit officium nedum contendere, vt decenti ritu Sacra obeantur, fed, & fi quę Ecclefiaftico more confecranda fuerint, Epifcopo proponere.

Infuper etiam indicare Præfecto Chori, vt fi quæ acciderint, dum Diuina celebrantur officia, colloquia, rifus, leuitates, aut externæ lectiones, ftatim pręcidantur.

Sæpius vocis alternationes, & varias flexiones indicere, omnes acceffus prohibere ad Altare maius, cum Sacra folemnius dicuntur, à Choro Diuinorum officiorum tempore Laicos arcere, fedilium, cum concio habenda fuerit, diftinctum ordinem feruandum curare, Dignitates, & Canonicos folemniore ritu celebraturos, feu alia Ecclefiaftica munera fubituros inftruere.

Tandem toto pectore incumbere, vt facrarum rerum fplendore, & cultu, fidelium animi ad religionẽ commoueantur, & ad cęleftium rerum defiderium excitentur.

Parochi omnes, tùm Vrbani, tùm foranei hunc fępè confulant Magiftrum, & pręfertim antequam exeat vifitaturus Epifcopus.

Ipfe Magifter, eiufq; Coadiutor eos perlegat libros, qui de Sacris Cæremonijs confcripti circumferuntur, maximè verò Pontificale, Miffale, Breuiarum poftremo recognita, & Rituale Romanum, eaq; Decreta, & Edicta obferuari ftudeat, quæ Sacrum Cæremonia-

le

le præscribit, & Sacra Vrbis Rituum Congregatio pro tempore promulgabit.

DE VICARIIS FORANEIS.

VT singulæ Plebes Archipresbyterum habeant, qui nedum fidelis populi magis assiduam curã gerat, verum etiam Presbyterorum, qui minoribus Ecclesijs præsunt, vitam iugi circumspectione custodiat, ex antiquissimo huius Diœcesis instituto cautum est.

Sed præterea, vt plures Vicarij Foranei assumantur mos inoleuit, quorum ope, & studio ampla Diœcesis nostra in varias distributa regiones, possit congruè in officio retineri. Hunc morem Nos prosequi decreuimus, vt quæ vel per nostras occupationes, vel per humanam infirmitatem continuo lustrare non possumus, ea ipsa inspici saltem, ac visitari aliorum oculis, & auxilio concedatur.

Inde, quę Edicto nostro speciali de Vicarijs Foraneis iussimus obseruari, non solum à Rectoribus, sed etiam ab alijs quibuscumq; præsenti Synodo renouare constituimus.

Præcipuum itaquè Officium Vicariorum erit, vt Decreta nostrarum Visitationum exequi faciant, tàm per prædictos Rectores, quam per populum, & plebẽ illis subiectam, vt fidei rudimenta, doctrinamq; Christianam edoceant, & edoceri pueros, & puellas procurent, & ad hoc Doctrinæ Christianæ societatem in

sua

sua erigant Ecclesia; & in alijs Ecclesijs Vicariatui subiectis.

Vt curent Sacrosanctum Missæ Sacrificium quibuslibet diebus festis ex præcepto, & fidelium deuotione obseruandis celebrari, & Dominicis, aut alijs solemnioribus diebus, populos Diuini verbi pabulo pasci, & sustineri.

Ne qui præterea culpa, vel negligentia Parochorũ, Sacramentis Ecclesiæ destituti, è viuis discedant.

Ne domi Rectores mulieres, sine nostra licentia retineant.

Ne in Sacris functionibus quæstum aliquem, aut lucrum proponant.

Ne in Ecclesiam hastæ oblongæ, & sclopi cuiusque mensuræ inferantur.

Ne diebus festis ludi sęculares, choreæ, aut alia prophana spectacula, pręsertim Diuinorum officiorum tempore, maximè propè Ecclesias, habeantur.

Studeant quoquè legata pia, eleemosinasquè præstari, & solui solita, à quibus oportuerit dari, ac persolui, contumaces quibuscumquè remedijs opportunis compellendo, nostræquè authoritatis præsidium, si opus fuerit, implorando.

Blasphemos, Veneficos, Sortilegos, aut superstitionibus iniquis deditos, Concubinarios, Adulteros, Incęstuosos, Stupratores, aut alios huiusmodi criminosos publicos, vel à partibus delatos ad Nos deferre, & confecta vigore suarum specialium facultatum acta processus transmittere.

Insuper Cætus, & disputationes ad conscientiam pertinentes, omninò indicant singulis mensibus, & cōficiant, deinde propositarum quæstionum decisiones ad Nos transmittant. Tunc singuli Sacerdotes, qui ad tales congressus accedere tenentur, nullo modo vacare audeant, & cum conuenerint, Sanctissimum Missæ Sacrificium offerant, & dum ibi missa solemniori ritu de cantatur, tùm ipse Vicarius, tùm alij è Clero omnes intersint Choro superpelliceis mundis induti, pallia siquidem, & pileos, cęterasquè vestes Diuinis officijs non aptas à Choro, & Ecclesia exulare mandamus. Peractis diuinis officijs, orationibusquè consuetis, domi Rectoris, qua decet modestia, præmissis precibus, sacraquè lectione mensæ adhibita, cibū capiant, frugaliquè victu sint in Domino contenti. Hæc autem omnia, vt ritè, rectéq; peragantur, diligenter curabunt Vicarij.

Conueniant etiam ipsi Vicarij, atquè etiam Archipresbyteri, bis in anno, diebus indicendis coram Nobis, & statum Vicariatus sui, & Archipresbyteratus Nobis referant,

Vestes Sacras, quæ paramenta vocant, nullo modo audeant consecrare.

Cætera, quæ Sacro Tridentino Concilio, nostrisq; Decretis, & Edictis statuta sunt, vel in reliquum tempus statuentur, vt religiosè obseruentur, ad eorumdem Vicariorum vigilantiam, & prudentiam spectabit.

His Rectores, & alij quicumquè ad quos pertinet, se omninò obedientes præstent, nostram hac in re auctori-

ctoritatem, & potestatem præseferentibus, sub pœnis arbitrio, vel Vicarij Generalis nostri statuendis.

DE PAROCHIS.

PArochum decet eum eligi, qui nec emendicatis suffragijs, nec humanis officijs, nedum simoniacis pecuniæ, linguæ, obsequij, turpibus artibus Christi Ouile ingrediatur. Sic intrantes Dominus accipit, cæteros, veluti non ascendentes per ostium, quasi fures, & latrones reijcit, nec sinit ab ouibus eos audiri.

Suscepto officio, sic vitam suam instituat, vt ex eius moribus alij etiam pudoris, & innocentiæ petant exemplum, intelligens rudes præcipuè, & agrestes, nil aliud, quam integritatem Sacerdotis intueri; eruditionem, & litteras paucos ponderare.

Non tamen desinat ipse sacras litteras, Catechismum Romanum, Concilij Tridentini, & Synodorum Diœcesanarum præcepta per legere, & obseruare.

Domi, quantum potest, se contineat, commessationes, conuiuia, choreas, & ludos deuitet. Rectoris, & parentis maiestatem retineat, & decorem Sacerdotalem vbiq; sustineat, ne (quod absit) sæculariũ iniurijs subijciatur; Fœnoris aliquid, aut rustici ministerij non exerceat, item nec quod sapiat mercimonium: violator canonicæ disciplinæ subiacebit.

Frequens sit in Ecclesia, rarus in foro, non sordidi, non auari animi, sed liberalis, & excelsi.

In propria Ecclesia diebus festis Sacram Missam

omnino celebret, & non in alia, quacumquè consuetudine in contrarium non obstante.

Vesperas cantet etiam cum altero tantum, alta voce, stata hora.

Si concionabitur ipsemet, nullo modo, prætextu cuiuscumq; paupertatis, eleemosinam solitam dari Prędicatoribus ambiat, aut petat.

Oblationis vetus institutum retineat quidem, sed non circumeat Ecclesiam, imo nequè ab Altari discedat, & pro mulieribus vsque ad prima illarum septa se transferat, & non vltra, Crucem, aut Pacis tabellam (patenam, & manipulum nullo modo) osculo attingẽdam præbens.

Pro matrimonio contrahendo non aliquid petat.

Similiter nihil accipiat pro administratione Sacramentorum, nisi sponte oblatum sit in eleemosinam.

Oblata intuitu piorum operum, ad vsus destinatos fideliter conuertat.

Cereas Imagines, aureas, vel argenteas, quæ voti causa offeruntur, in libellum ad hoc compactum numeratim, & distinctè referat, nullo modo vendi, liquari, aut remoueri permittat.

Rituali Romano Pauli v. S. M. in administratione Sacramentorum, supplicationibus, & precationibus, librisquè conscribendis Baptizatorum, & eiusmodi vtatur.

In audiendis confessionibus vtatur superpelliceo, & stola violacei coloris.

Libros habeat aliàs præscriptos in Visitatione nostra,

ſtra, omninò vero Biblia Sacra, quæ in prima futura Congregatione oſtendat Vicario Foraneo, ſcripto in ijs nomine, & cognomine proprio.

Dominicis Diebus ineũtis ſeptimanæ feſtos dies, & incidentes vigilias prænuntiet.

Funebria officia perſoluenda indicet, Concionem aliquam ad Populum habeat, in qua prudenter frequẽtiora populi vitia, odia, & flagitioſos amores euitandos demonſtret, moneat Patres familias, vt filios, ac famulos ad Eccleſiam, diebus ſaltem feſtis conuenire ſtudeant, vbi, & miſſæ ſacrificium, ac Diuina officia, Concioneſquè audiant, & Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta percipiant.

Si expedire iudicauerit, alta voce repetat quædam rudimenta fidei, & explicet Populo. Quod aptè, & cum emolumento maximo fiet, dum populus diebus feſtis extra Eccleſiam in Cœmeterio opperitur tempus audiendi Sacrum; fœminis in Eccleſia manentibus.

Tempore Quadrageſimę, & præſertim per hebdomadam Dominicæ paſſionis, exponat Populo, quæ pertinent ad S. Sacramentum Pænitentiæ, & Euchariſtiæ, & Hebdomada ante Pentecoſtem, quæ ad S. Sacramentum Confirmationis. Infra Octauam Epiphanię, quę ad Sacramentum Baptiſmi, Infra octauã omnium Sanctorum, quę ad Sacramentum extremę Vnctionis, & quoties ſe obtulerit occaſio, quę ad Sacramentum Matrimonij, & ad S. Miſſæ Sacrificium, eiuſquè miſteria.

Et quia Paſtoris eſt officium, vigilare, & cuſtodire vigi-

vigilias noctis super gregem suum, ideo ab Ecclesijs suis abesse, aut extra eas pernoctare vetitum sibi esse intelligat.

Si causa iusta illi sit, Vicarium Foraneum adeat, veniamquè roget.

Longioris certe temporis vltra biduum absentiam à Nobis, vel à Vicario nostro Generali probatam volumus.

Neque ex distantia loci excusabitur, etiam cum necessitate discedendi, vt possit à sua abesse Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta. Et si forte talis repente se offerat necessitas, quę non patiatur moram huiusmodi licentiam petendi, quam primùm tamen de hac necessitate, & de discessu Nos certiores reddat, vt de causa possimus cognoscere, prout decreto Sacræ Congregationis Concilij cautum est.

Si diebus festis ad aliquā celebritatem vocetur Parochus, ad illam nullo modo accedat ante Sacrum in sua Ecclesia peractum, cum ex præcepto Ecclesiæ, aut consuetudine, vel vsu dies festus colitur.

Pręterea nunquam omittat ęgrotos suæ Parrochię per se ipsum visitare, salutaribusquè verbis, & Orationibus subleuare, illosq; (si morbus vrgeat) Sacrosancto Eucharistiæ, & Olei Sancti Sacramentis roborare, & in postremo agone illorum animam assuetis precibus Deo commendare.

Inuigilet amplius quisque ex Parochis precipuè foraneis, ne in Diœcesi Indulgentiæ aliquę, aut à quoquam afferantur, aut quomodolibet publicentur, seu

San-

Sanctorum Reliquię vllomodo a priuatis personis distribuantur, nisi ex nostra in scriptis concessa, & speciali auctoritate; impudentiæ siquidem, & fraudibus nonnullorum est occurrendum, qui vel lucri, vel alterius cupiditatis causa, sacras res prostituere non erubescunt: qui verò talia ausi fuerint, sciant se grauissimas pœnas subituros.

Suas deniquè oues, vt bonus Pastor agnoscat, quot annis describat, ægrotas sanare, errãtes reducere, perditas recuperare omni studio contendat.

Maximè etiam probamus, vt quisquè Parochus sub congruo stipendio Capellanum sibi deligat, quo tutiùs ac promptiùs cuncta Ecclesiæ ministeria possit implere. Hic deligendus, & morum probitate, & doctrinæ experimento talis esse debet, qui nostram in examine approbationem mereatur. Per se ipsum nihilominus Parochus, nisi legitimè impeditus, suum munus exerceat. Quod si ob Ecclesiæ reddituum tenuitatem Capellanum retinere non liceat, Clericum saltem in Sacris constitutum sibi Parochus adsciscat, vel minoribus Ordinibus insignitum. Quod si vires Ecclesiæ tale onus minime patiantur, habeat penes se Clericum saltem primæ Tonsuræ, vel alium decenti veste indutum, qui Sãcto missæ Sacrificio cum dignitate possit ministrare.

Nostri autem erit arbitrij, qualem quisq; comitem, vel Ministrum alere possit.

Parochi etiam suos Clericos, aliosquè suæ Parochię Pueros edocere non prætermittant, litteras, & virtutes do-

doceant simul, vt semel recepta in teneris annis semina pietatis, altis actis radicibus, maturos salutaresq; fructus emittant. In hac pascendi gregis cura liberales sese ac faciles præbeant, suæq; charitatis, & humanitatis fontes omnibus aperiant, implentes præceptum Domini.

Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

In Conuentibus Cleri quibuscumquè publicis, adhibeant ad superpelliceum stolam Parochi, tam in Ciuitate, quam in Diœcesi eius coloris, qui actioni publicæ iuxta rubricas, & tempori conueniat, vt dignoscantur ab alijs Sacerdotibus. Cum autem cadauer defuncti sepulturæ Ecclesiasticæ tradendum effertur, funusquè deducitur, proprius solus Parochus stolam habeat.

In Diœcesi ne fiant supplicationes cum Sanctissimo Sacramento, in festo eiusdem & octaua per vias longiores ad libitum populorum, sed ad præscriptum Vicariorum Foraneorum, qui re communicata cum Vicario nostro Generali eam præscribent viam, quæ satis patens pro frequentia populi præcedentis cum Parocho videbitur. Tunc ne fiant Altaria extra Ecclesiam, ad deponēdum in ijsdem Tabernaculum gestatorium, neque adhibeatur sancta pręcatio campis, per quos transitur, sed in Ecclesia tantum in fine processionis.

Deniquè Parocho mortuo, successor quot annis Anniuersarium celebret pro eo cum Missa Parochiali.

DE IVDICIBVS SYNODALIBVS.

SAcri Concilij Tridentini Decreto inhærentes, Iudices Synodales tales esse decernimus, quales prescribuntur in Constitutione Bonifatij viij.

Hi priuatiuè quò ad alios causas sibi commissas, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes cognoscere poterunt, atquè etiam ab Apostolica Sede, & à Legatis in Iudices dari.

Eligi quoquè debebunt à Regularibus in Conseruatores, iuxta Constitutionem S.M. Gregorij xv.

Illos monet Sancta Synodus, vt terminandis causis, quanta fieri poterit breuitate, incumbant: litigantium artificijs, & dilationibus modis omnibus occurrant.

IVDICES AVTEM SYNODALES ELECTI HI SVNT VIDELICET.

PEr Illustres, & Valde RR. DD. Comes Ioannes Baptista Tassonus Archipresbyter.
Petrus Ioannes Bonafides Præpositus.
Paulus Æmilius Recalchius Archidiaconus.
Iacobus Philippus Thamonus Decanus.
Ioannes Baptista Nigrellus.
Alphonsus Græcus. } Canonici.
Dominicus Campius.
Alexander Albertinus Canonicus Pænitentiarius.
Franciscus Maria Vallemannus Canonicus.
Cæsar Vbaldinus.
Antonius Fiessus.

S DE

DE EXAMINATORIBVS SYNODALIBVS.

EXaminatores, ex omnibus ſint ſpectatiſſimi. Non pauciores ſex. Clerici quidem omnes, ſeu Sæculares, ſeu Regulares, Iuris Canonici, aut Sacræ Theologiæ periti.

Vt incorruptius ſequatur in examine iudiciũ, vnuſquiſquè examinatorum, antequam ad primum examen accedat, ritè iureiurando firmabit, ſe munus ſanctè, & integrè exequuturum, omni priuato ſtudio, & affectu poſthabito.

Nequè ante examen, neq; poſt, eius rei cauſa, ne minimum quidem ab vllo accipere poterunt, Ne Eccleſiam Dei, domum negotiationis facere videantur: quod adeo erit obſeruandum, vt ſi ſecus fecerint, tam largitores, quam ipſi, turpis corruptelæ, atq; nefariæ ſimoniæ crimen ex auctoritate Concilij Tridentini contrahant, vt neq; ab eo abſolui crimine poſſint, niſi beneficijs (ſi quæ habent) dimiſſis, neq; beneficia ipſa amplius recuperare, aut alia impoſterum adipiſci.

Et quia pleroſq; examinis alea tenet, & modeſtia, ac pudor ſępe confundit, Examinatorum erit officium; cum benignitate dubitantibus animum addere, & ad bene ſperandum confirmare.

Interrogationes ex difficilioribus minime ſeligantur. Nemo, qui vel legendo, vel reſpondendo aliquid offenderit, minuſq; ſatisfecerit, corripiatur, acriuſq; obiurgetur. Nemo in docendo præueniatur, ſed, quò ipſe euadat, expectetur.

Am-

Amplius non scientiam tantum eorum, qui subeũt examen, spectandam esse iudicamus, sed ingenij viriditatem, & solertiam morum probitati, & modestiæ adiunctas.

Deniquè nullus Examinatorum quemquã vlli Collegarum commendet, vel vt alteri gratificetur, vel amicitiæ causa. Nemo examinandum admittat, vt extra examen præmoneat, & instruat, & ita se gerat, vt nulli suspicionem de hoc afferat. Qui non paruerit, ab officio excludetur.

Et quoniam nostri muneris est curare, vt in promouendis ad Ecclesias Parochiales, aut nobis coram Deo, aut Ecclesiæ corã hominibus scandalũ non prębeatur.

Subeant ideo Competitores libenter examen, & ad editiorem gradum ascensuri de moribus, & doctrina sua patiantur inquiri.

Synodales Examinatores, iuxta deferendum Ministerium, cuiusquè habilitatem expendant. Illud in vniuersum rimentur, an promouendi in Sacræ Scripturæ lectione, & Theologiæ moralis quæstionibus versati reperiantur, an ad pascendas verbo Dei oues sermone, & scientia valeant. An Sacramentorum omnium vim, naturamquè intelligant, & quod summum est, an in audiendis confessionibus sapientes sint, & prudentes.

In hos demum hortationem conferant, vt quę Tridentinum Concilium de pręcipuis fidei Christianę partibus, de Sacramentis, de Residentia, & Parochialibus Ecclesijs, cæterisq; ad Cleri, & Populi discipli-

nam ſpectantibus ſtatuit, & quæ hac noſtra Synodo præcipiuntur, ſtudioſè intelligere, notaquè habere contendant.

EXAMINATORES VERO' SYNODALES ELECTI HI SVNT VIDELICET.

Præfati DD. Archipresbyter.
Præpoſitus.
Archidiaconus.
Decanus.
Canonici Græcus,
Campius, &
Albertinus.
Ioannes Baptiſta Nanius Canonicus Theologus.
Franciſcus à Veritate I.V. D. Rector Sancti Petri, &
Auguſtinus Maranus Rector S. Clementis.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

VT dilectiſſimus Clerus noſter in Domini ſortem verè ſe vocatum oſtendat, nihil ſibi non ſimplex, non integrum debet proponere.

Vnanimiter Clerici omnes, cuiuſcumque ſint ordinis, cum ſilentio operantes (iuxta Decretum Apoſtoli) ſuum panem manducent, proximum, vt fratrem ſuſtineant à quibuſquè turpibus, & ſordidis diſcaueant, vt mundas valeant ad Deum pro ſui miniſterij ratione leuare manus: inceſſus, ſermo, & actio Clericalis mode-

de-

destiæ, ac dignitatis præbeant argumenta; summæq; pietatis, ac religionis exemplis, ad imitationem virtutis fideles omnes prouocent.

Nemo prorsus Clericalem habitum suscipiat sine nostra licentia in scriptis, & obtenta prius vestiū Clericalium benedictione.

Sęcularibus indumentis minimè vtantur, talarem vestem, & pallium in Vrbe, breuiorem in itinere, seu extra Vrbem adhibeant. Color vestium sit niger, nisi alium requirant dignitatis gradus, aut officiorum priuilegia, aut Collegiorum Statuta.

Nihil ornatu exquisitum appetant, nihil vile, & abiectum accipiant.

Amplius, comam minimè nutriant, aut laxent, labro barbam non erigant, sed tondeant modestè.

Cum Mulieribus absquè licentia nostra in scriptis, vel Vicarij nostri Generalis, non cohabitent; secularibus negocijs non se ingerant; pro alijs minime spondeant, vel fideiubeant, præterquam cum necessarium fuerit (iudicio nostro) mercaturas, & negociationes illicitas fugiant, tutelam, & curam etiam miserabiliū personarum absquè assensu nostro non suscipiant, venationem minimè exerceant, spectaculis prophanis non intersint, laruas, & ludos abhorreant, armorum genus nullum deferant, à quocumquè fœnore abstineant, fabulas, & histriones non audiant.

Et quoniam Vniuersi Sacerdotes ad solam Dei laudem, & bonorum operum studium constituuntur, decet eos habere Patronum causarum probatissimæ fa-

me, & laudabilis doctrinæ, vt à fori perturbationibus liberi æternis bonis tantum valeant inhiare. Vnus igitur eligatur vniuersi Cleri Ferrarienſis Patronus, qui ſingulorum cauſas dicat, & iure medio tueatur in omni verbo veritatis:

Proprium præterea ſuperpelliceum ſinguli habeãt, non ſordidum, non lacerum, nequè nimium in humeris phrygiatum. Cum eo extra Eccleſiam non abeant, niſi ob proceſſiones, vel aliud officium Eccleſiaſticum.

Ne ſint in famulatu laicorum, aut eorumdem Procuratores, etiam Principum, ſine Noſtra licentia.

Aduocati, Procuratoriſue nomine cauſas non agant, niſi Eccleſiæ ſuæ, propinquorum, miſerabilium perſonarum in foro Eccleſiaſtico, & cum aſſenſu noſtro. Teſtimonium minimè in laicorum foro perhibeant ſine noſtra licentia, & tunc iurent in actis Curiæ Epiſcopalis.

Tonſuram Clericalem geſtent ad eam formam, quã ratio cuiuſquè Ordinis anguſtiorem, vel patentiorem poſtulat; illa conſpicua ſit omnibus, abraſo capillo.

Mulieres etiam illuſtres Grammaticam, aut aliàs liberales artes, cantum, aut pulſationem cuiuslibet muſici inſtrumenti minimè edoceant, niſi aliter ob ætatem, vel graues mores à nobis fuerit permiſſum.

Latrones, Exules, Proſcriptos, aut flagitioſos homines non recipiant, vt propriam ſeruent exiſtimationem, & pænam excommunicationis latæ ſententiæ à Sixto Quinto Summo Pontifice ſancitam, effugiant.

Quicumq; his non paruerit, pro modo culpæ arbitrio

trio nostro plectetur.

Denique nihil in Sacerdotibus virisque Ecclesiasticis plebeium, & commune volumus, nihil populare, aut commixtum studio, & vsu inconditę multitudinis. Quomodo enim obseruari debet à populo (ait D. Ambrosius ad Irenęum) qui nihil habet secretum à populo?

Ad Cœlum Christi milites debent suum dirigere cursum, & obliuisci quicquid hic in terris refectionis, aut solatij haberi potest, sua alimenta, & gaudia à Rege Domino expectantes.

Ad obtinendas porro dignitates, honores, officia, ac beneficia Ecclesiastica, omnibus eam præcludimus viam, qua per ostium non intratur, & ascenditur. Ideo quascumque siue per Epistolas, siue per officiosa verba commendationes prohibemus.

Ad Nos siquidem spectat rei magis vtilitatem, quàm voluntatem, in Domino æstimare.

Sed & virtus suffragijs non indiget ad laudem, & præmium, plerumque officijs stupratur potius, & corrumpitur.

Illud certè Nos pollicemur, honores, vt labores fore communes, non in vno, aut paucis stagnantes, sed ad omnes dignos æquè decurrentes.

Mulierum contubernium abhorreant Clerici omnes, & Sacerdotes, easquè solum admittant, quarum ætas, & honestas præuio examine, & licentia Vicarij nostri Generalis probata fuerit, certoque sciant in fæminarum consuetudine, nihil non bellicum, non cruen-

cruentum, & ad perdendum homines aptum reperiri, Diabolo cum Iob belligerante; Ille scilicet postquam per Chaldęorum exercitus, greges suos prædatus est, post ventorum magnam excitatam rabiem, post flammas è Cœlo deiectas, post substantiæ omnis ruinam, liberoruquè orbitatem, & extremam in illum illatam pauperiem, acerrimè deniquè libidinis telo eum tetigit, vt hoc intestino certamine augeret pericula, nouoquè belli genere eius constantiam superaret.

Deniquè in studia sacrarum litterarum incumbant, probatos libros apud se habeant, Biblia Sacra, Concilium Tridentinum, Catechismum Romanum, Decreta Synodalia, & Auctorum, qui de Sacris Ritibus agunt; omninò verò libellum iussu nostro editum, cui titulus est, selectiora Sacrorum Rituum.

DE SEMINARIO, ET EDVCATIONE CLERICORVM.

DEcet in Agro Domini Plantaria esse, nè arbores fructiferæ desint, ex quibus innocentię, doctrinæ, & religionis fructus percipiantur.

Nos equidem, qui in Agro huius Sanctæ Ecclesiæ, licet immerito, positi sumus, totis viribus curabimus, in dies Clericorum Seminarium augeri, vt ex eo innumeræ, quasi ex florenti Plantario, prodeant arbores, quibus ordo Sacerdotalis fertilior, & iucundior euadat, irrigante gratia Domini Nostri Iesu Christi.

Alum-

Alumni primò humanioribus litteris, deinde Sacris Canonibus, vel Sacræ Theologiæ Morali incumbant, nec ad alias capessendas disciplinas, nisi permissu nostro, traducantur.

Volumus quidem præ cæteris eos erudiri Catechismo Romano, cantu, & computo Ecclesiastico, Ritibus & cæremonijs, & historijs Ecclesiasticis.

Rector Seminarij non alius sit, quam Sacerdos probatis moribus, & doctrina ornatus. Tunc siquidem in discipulo expectabimus, quod erit in magistro, & Rectore homines, nimirum, sic afficiuntur: ad eos, quos suspiciunt, & quos in pretio, & æstimatione habent, vt illorum in se transferant qualitates.

Adsit post Rectorem, cum per opes licuerit, Seminarij Prorector, qui puerorum, & Adolescentum curæ, & educationi sit præpositus, vt nec domi, nec foris vigiles oculi eos vnquam deserant. Hic domesticæ rei administrationem habeat sub Rectore.

Præsides Canonici, alter à Nobis, alter à Capitulo, eligantur, itemquè duo alij de Clero Ciuitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad nos, alterius verò ad ipsum Clerum pertineat.

Hi curent bona Seminarij.

Singulis etiam annis rationes exigant, & factis calculis probent, suaquè manu firment.

Curent rectè Seminarium administrari, taxas exigi, iuuentutem ali, mercedes Ministris, & familijs tradi, aliosquè sumptus necessarios fieri, & in fine etiã cuiuslibet mensis rationẽ datorũ, & receptorũ reddi.

T Am-

Amplius animaduertant, non antea Alumnos recipiendos, quam de expensis reficiendis cauerint (saltem per iuramentum) si fortè à Clericali ordine resilierint.

Alumni Seminarij claustra quam minimùm exeant, nunquam sine aliqua causa, & sine Canonicorum pręsidentium licentia.

Cuilibet exeunti detur socius alter alumnus, ætate grandior, & moribus laudabilior.

Pernoctare quidem non licebit absquè nostra licentia.

Bini incedant, Rectore subsequente, cum Ecclesiam, vel scholas petierint.

Rarò admodum per Ciuitatem spatiari permittantur, animi recreandi gratia, sed vel extra Ciuitatem, vel propè eius mœnia, & per Pomœrium.

Eorum incessus grauis, totum corpus ad modestiam compositum sit semper.

Ad Ecclesiam Cathedralem statis temporibus accedant, vel vt in Diuinis seruiant, vel vt precibus, & meditationibus, concionibus, & Sacris lectionibus, Christianæ præsertim Doctrinæ, & Catechismi intersint.

Qui contra egerit, grauiter obiurgabitur.

Sacris ritibus, & cæremonijs mutuò se instruant. Et quoniam continget, vt plurimum, Coadiutorem Cærę moniarum Magistri ex Alumnis assumi, illius munus sit cęteros Alumnos edocere, vt & ipse docendo alios magis addiscat, dexteriorquè, & peritior fiat.

Om-

Omnibus sit vnum Refectorium, vnum Dormitorium, quacumq; singularitate seposita.

Ministri sub Episcopo, sint duo Præsidentes Canonici. Vnus Rector, vnus Prorector, siue Procurator oeconomiæ, sub his famuli necessarij. Hi omnes obedientiam exhibeant Præsidentibus. Procurator seruet omninò, quæ de eius officio statui mandauimus.

Porro Clerici addicti Sacristiæ pro seruitio Missarũ, vestes violacei coloris semper deferant, ijsquè Grammaticæ magister datus, propè Ecclesiæ Cathedralis claustra se se contineat, quantum fieri poterit, vt ijdẽ Clerici àb Ecclesiæ seruitio quàm minimùm distrahantur.

Vt Clerus etiam foraneus pro studio litterarum, & laudabilium morum, qui Ecclesiasticũ virum decent, magistros habeat, hortamur in Domino Consules, Sapientes, Massarios, cæterosquè officiales Communitatum, vt pro suorum incolarum, tàm Clericorum, quam Laicorum bono, magistrum aliquem saltem Grammaticæ, probatissimæ vitæ eligant, à Nobis tamen approbandum, eique salarium ex publico ærario constituant.

Vicarij foranei, Archipresbyteri, & Parochi sæpè votum hoc Nostrum in memoriam officialium reuocent, donec eius compotes, Deo dante, fiamus.

Tandem meminerint omnes Alumni Seminarij, Clericiquè supradicti cum humilitate in Ecclesia seruire, vt dignè ad maiora ascendentes rectius sibi subditos possint gubernare.

Ita enim Dominus Iesus Salutaris factus est obtemperantibus, quia (vt inquit Apostolus) didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.

Imò idem ipse Dñus docuit Nos in paruis exerceri, vt ardua facilè possimus superare.

Hinc ille minoratus est vsquè ad pedes Discipulorum, vsquè ad sordium lauacra, vsquè ad Crucem, vt planior redderetur mortis humiliatio.

DE SANCTIMONIALIBVS.

Monialium disciplinam spiritualiter, ac temporaliter instruere præcipuum, & maximè necessarium nostræ sollicitudinis munus iudicamus.

Digna siquidem, & excelsa adeo est hæc viuendi ratio, vt præsidijs omnibus, & adiumentis sit confirmanda. Atquè Episcopi præcipuum est officium, non tàm matrimonij religionem, quàm virginitatis candorem defendere. Imò huic plus debet, quam illi, quoniam ad puritatem mystici corporis Christi, cuius nos membra sumus, virginitatis pudor celebratur, nec non ad martirij suę passionis memoriam, & imitationē.

Hanc igitur heroicam virtutem, & celebre hoc cum Domino coniugium in nostris Sanctimonialibus maximè veneramur, illarumq; nomina hoc vno speramus scripta in Cælis, quod maritis, Sanctitatem anteposuerint, vt soli Deo speciosæ, soli Deo nuberent; tantò etiam magis liberę, quanto obstrictiores Christi Domini Ancillæ.

Ita-

Itaquè huius Sanctæ Synodi auctoritate statuimus, ne cuiuis cuiuscumq; sit conditionis, & status ad Monialium Monasteria facilis sit accessus sine nostra licẽtia, vel Vicarij nostri Generalis, vt à mundanis conspectibus curisq; separatæ Deo seruire possint in sanctitate, & iustitia.

Ad hæc, sciant Moniales etiàm Regularibus subiectæ, quod loqui non possunt cum Regularibus, etiam eiusdem Ordinis, licentiam legitimam non habentibus. Ipsi verò Regulares accedentes sine licentia, & Moniales alloquentes ipso facto incurrunt pænam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & ab Episcopo tàmquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri, & puniri poterunt ex Constitutione Gregorij xv. S. M., & decretis Sac. Congregationis Concilij, & Episcoporum.

Clausuras (quantum in nobis erit) tùm quòad Monasteria nobis subiecta proprio iure, tùm quoad ea, quæ Regularium subsunt disciplinę, curare, & custodire studebimus, iuxta Sacri Concilij Tridentini, & S. M. Gregorij xv. Constitutiones.

Ingredi septa Monasterij nemini liceat, sub pœna excõmunicationis ipso facto contrahendę, cuiuscumq; generis, status, sexus, vel ætatis fuerit, sine nostra in scriptis licẽtia, vel Vicarij nostri generalis ad ministeria necessaria dumtaxat concedenda.

Eiusdem pænę incursum patiantur, qui licentias, & facultates ingrediendi sibi concessas, ad alia, quam quorum intuitu emanarunt, iniquè conuertere audebunt.

Eadem

Eadem prorsus feriantur excommunicatione Abbatissę, Priorissæ, aut aliæ Præpositæ, & Custodes, quarum malitia, & negligentia clausuræ violatę reperientur, & quæ admiserint quoquo modo ingredi aliquos, etiam infantes, vel minimę ætatis, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum; Nostræquè seruentur peculiares ordinationes de custodia clausuræ.

Renouentur licentiæ medicorum, & operariorum quolibet semestri, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum.

Absquè nostra licentia non accedant Cantores ad Ecclesias, vel Monasteria Monialium, sub prætextu canendi, aut edocendi, sub pœnis in Edicto nostro contentis.

Præpositi Regulares, & alij quicumq; intra clausuram ingredi non poterunt, etiam prætextu interueniendi electioni Abbatissæ, vel Priorissæ, aliarumuè officialium Monasterij, aut examinandi moniales particulares, sub censuris à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Pontificijs, præsertim Gregorij xiij, cum hęc ad Monasteriorum crates peragi valeant, ex Decreto Sacræ Congregationis Episcoporum.

Confessario Monialis egrotę confessionem audiente cellæ ianua aperta remaneat, & duæ testes, quæ ex officio proprio comitari debent, non alię ad libitum assumptæ, ad eiusdem cellæ ianuam morentur, itaut Cõfessarius, & infirma ab eis commodè cerni possint, non audiri.

Is ad confessionem audiendam vocatus, seu ad alia mini-

ministranda Sacramenta recta via, & absque diuerticulo eat, redeatquè, nec in aliam Monasterij partem diuagetur, etiam occasione visitandi alias morbo affectas, quibus Sacramentorum administratio non est necessaria, neque diutius ibi, quam par sit, immoretur, nequè vnquam pernoctet, sed noctu administrato Sacramento extremę vnctionis, & peracta animæ commendatione, cętera omittat, quę monialibus ad bene moriendum sorores ritè exhibere solent, & exeat de monasterio, ex Decreto Sac. Congregationis Episcoporum.

Habeat autem Confessarius Regularis ingrediens ex dictis causis septa monialium ęgrotantium secum alium socium Regularem, qui ipsi assistat, sitquè ętatis supra annos quadraginta, si commodè haberi poterit moribus saltem, & vitæ probitate senior.

Domi monasterio adiunctæ intra, vel extra fines atrij exterioris minimè maneat, cibi capiendi causa, nisi confessionis tempore.

Nihil oblatum, aut donatum accipiat, nihil elaboratum, ne laborem quidem, qui in vestibus sarciendis ponitur.

Cum monialibus minimè sermones habeat, nisi officij sui causa, & pro necessarijs ad Ecclesiam, cum moniali tantum deputata.

Non accipiat, nisi per manum Sacristę, onera missarum celebrandarum, etiam ad votum aut desiderium alicuius monialis, quæ missę sacrificium pro se fieri desideret: quod etiam de Capellanis intelligatur.

Vi-

Victus dietim Confessario non ministretur, sed potius quędam summa pecunię quot annis, victus loco ei persoluatur, & si Regularis sit, monasterio, in quo degit, pendatur, iuxta Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum.

Vltra mercedem non audeant aliquid præstare moniales, aut illi accipere sub pœnis arbitrio, iuxta tenorem eiusdem Decreti.

Si qui Cofessarij extraordinarij in commune deputabuntur, non poterunt pluries vi facultatis, seu approbationis nostrę, confessiones audire, sed à nobis toties erunt approbandi, quoties casus deputationis cōtigerit, sed nequè ipse Generalis ordinis potest audire cōfessiones suarum monialiū sine nostra approbatione, ex Decreto Sacrę Congregationis Concilij.

Quoties Virgo ad habitum recipiendum euocatur, non parentum voluntatem, ac potestatem respiciat, sed animi sui propensionem, & deliberationem sępè excutiat, vt tantum sacrificium nulla vi, nulla coactione adstrictum, sed liberum, & solutum permaneat, Deoquè valeat, non in męrore, ac tristitia, sed in lætitia potius, & gaudio deseruire.

Nos certe muneris nostri partes in hac re maximè adimplebimus, & à Sacri Tridentini Concilij Sanctione, in exploranda ingredientis cuiusquè, vel profitentis voluntate, ne latum quidem vnguem, discedemus.

Porrò monialium dos, siue eleemosina, earum nimirum, quæ Sacro velo professionem emittunt, scutorum quingentorum erit huius monetæ; seruientium

verò

verò ſcutorum ducentorum quinquaginta.

Habitus ſuſcipiendi tempore, dotium depoſita verà, & realia, non ficta, & ſimulata apud mercatorem à Nobis, vel à Vicario noſtro Generali probatum conficiantur, & emiſſa profeſſione, in tabulas ſacri Mõtis Pietatis huius Ciuitatis ad creditum monaſterij ſtatim referantur, & inde non extrahantur, niſi de licentia noſtra in ſcriptis, vel vt inueſtiantur in bonis ſtabilibus, vel in alia monaſterio perneceſſaria conuertantur.

Illud admonentes, dotales has eleemoſinas in ære, ſeu pecunia ſoluendas, non autem in bonis ſtabilibus, aut nominibus debitorum aſſignandas eſſe, prout Decreto S. Congregationis Epiſcoporum cautum eſt.

Cæterum ſicut vſus, & reditus quosdàm, ſeu prouiſiones annuas in gratiam monialium, vltra neceſſaria mobilia ex laudabili conſuetudine huius Ciuitatis collata, valde laudamus, ita prouiſiones prædictas ad moniales particulares iure proprietatis pertinere damnamus.

Immittantur ergo in communem arcam depoſitæ pecuniæ monaſterij, & ad libitum Abbatiſſę, ſeu alterius ſuperioris, in primis pro neceſſitatibus earumdem particularium monialium benigna, ac diſcreta diſtributione erogentur, & ſi quid ſupereſt, in commune referatur.

Deteſtamur quoquè conuiuium, & epulum, quod occaſione ingreſſus, vel Profeſſionis, de conſuetudine monaſterij, quandoquè poſtulatur; petitio enim, &

Ecclesiasticæ decori Religionis, & ingredientis proposito plerumquè aduersatur.

Et ideo ad hoc Vrbani Quarti Summi Pontificis Cõstitutionem in memoriam reuocamus.

Præter hęc, quoniam plurimum confert œconomia temporalis ad disciplinam Regularem, illa autem rectè sustinetur, quoties ministri, & officiales suum fideliter exercent officium.

Proindè volumus, vt villici, quos factores vocant, seu negociorum quilibet transactores ipsorum monasteriorum, tàm vrbani, quàm rustici, nec non exactores, & ratiocinatores quolibet mense cuiusquè monasterij Sindicis respectiuè de eorum gestis rationẽ reddant; & Nobis, seu Vicario nostro Generali quolibet anno.

Syndicos prædictos non sine magno delectu Nos ipsi, vel Vicarius Noster deputabimus, cum facultatibus in patentes litteras redactis.

Exigant etiam Syndici ab administratoribus prædictis cautionem pro certa summa de recta, & innoxia administratione, de reddenda ratione, & de reliquis præstandis.

Officiales autem prædicti, & administratores inferiores Syndicis obedientes sint, & suis stipendijs contenti, nec audeant à monialibus particularibus aliquid vlterius accipere, sub pœna priuationis officij.

Insuper, vt facilius monialium commodis consulamus, mandamus, vt moniales nullos ineant contractus, nullas obligationes, nullasq; apodixas conficiãt

absq;

absquè licentia nostra, vel Vicarij nostri Generalis, etiam pro ijs, quæ ad victum monasterij necessaria sūt, vltra summam scutorum quinquaginta.

Itèm nec ædificia construantur alicuius momenti.

Amplius præcipimus, vt moniales sacras supellectiles, vel alia bona ad monasterium spectantia extra monasterium minime commodent, aut vendant, vel ad vsum alicuius concedant, nisi nobis consultis. Imò prout se dederit occasio, inuentarium quorumcumq; bonorum mobilium, quælibet monialis, ad formam à nobis præscriptam, curet in area communis depositi asseruandum.

Alienationes verò, seu permutationes, aut venditiones quorumcumque bonorum immobilium, seu mobilium pretiosorum omninò prohibemus.

Et quia, vt plurimum contingit, moniales quasdam professas educandarum puellarum curam suscipere: decernimus, ne aliqua monialis huiusmodi onus assumere possit, nisi sexennium professionis expleuerit, & monasteria quoque solita sint Puellas educare, habeantque loca particularia destinata, & separata à monialibus etiam nouitijs.

Item puellæ sint septennio maiores, & annis viginti quinque minores, neque supra numerum præfixum. Illæ à monialibus capitulariter per vota secreta recipiantur, data idonea cautione de soluendis anticipatè de semestri in semestre alimentis, & cum alijs conditionibus appositis in Decreto Sacræ Congregationis super negocijs Episcoporum, & Regularium.

Illarum autem alimenta non ipſi moniali, penès quam educantur, ſed monaſterio perſoluantur, facto, vt ſupra, de ſemeſtri in ſemeſtre pecuniarum depoſito, vel apud campſorem, vel apud Sacrum Montem Pietatis, ad creditum eiuſdem monaſterij.

Vna verò præſit magiſtra, quæ eas bonis moribus, primisquè rudimentis neceſſarijs imbuat, & ſub pia diſciplina cuſtodiat.

Curet etiam Abbatiſſa, & magiſtra, vt illæ modeſto vtantur veſtitu, clauſuræ leges monialibus communes obſeruent, & ſint humilitate ſublimes, inſignes charitate, ac per virtutes omnes peſpicuæ, dignæq;, vt cũ ſanctis Virginibus conuiuant, & inter lilia caſtitatis commorentur.

Ali in monaſterio boues, equos, & iumenta, & multo magis catellos retineri omninò prohibemus, vt in Edicto noſtro particulari.

Defuncta aliqua ex monialibus, illius funera de more celebrentur.

Nulli ex monialibus remaneat facultas diſponendi de cellis ſuis poſt obitum, ſed eæ, dum vacauerint, ſuperioris arbitrio, prout expedire in Domino iudicauerit, alijs monialibus aſſignentur, ex Decreto Sacræ Congregationis Regularium.

Prohibemus amplius monialibus, licet ſint Regularibus ſubiectæ, ne in bacchanalibus, vel alijs temporibus animo relaxando conceſſis, vtantur habitu virorum, aut cuiuslibet ſpeciei armis ſe accingant, ex Decreto Sac. Congregationis Epiſcoporum.

Præ-

Præterea non vtantur habitu sęcularium fœminarum, & multo minus vestibus sacris:

In Electionibus officialium coram Nobis, vel Vicario nostro, pro tempore habendis, nec non Visitationis gratia nobis adeuntibus, vtantur superindumento, seu amictu solemniore.

Nobis omninò subiectæ, non alijs regulis, & ordinationibus subsint, quam præscriptis à bo: me: Reuerendissimo Fontana Prædecessore nostro, & à Nobis.

Harum volumen penes Abbatissam, aut Priorissam perpetuo custodiatur, & in cuiusquè electionibus vna cum clauibus, & reliquis insignibus consignetur.

Sæpe in refectorio, & quoties expediens fuerit, relegantur.

Meminerint tandem ipsæ moniales professæ matrimonij spiritalis iura fideliter seruare, nec per inanes cogitationes, & externa mundi oblectamenta diuortij tesseram profiteri.

Maximum Dei donum existiment quietam, suauem, & Angelicam ducere vitam, quia semper est Angelis cognata virginitas.

Credant se viridarij Cælestis apes esse, vbi nihil nō dulce, non lætum delibari putat Diuus Ambrosius,

Maximum eis erit in his adiumentum Sacrosanctæ Eucharistiæ frequentatio.

Vnde ex Sacri etiam Tridentini Concilij sanctione eis iniungimus, vt semel saltem singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, & Sacræ Eucharistiæ Sacramento se roborent, ad omnes oppugnationes Demo-

monis fortiter ſuperandas.

Demum hortamur fideles omnes, vt has Sacras Virgines defendant, ac venerentur, pijſque adiuuēt eleemoſinis, ſcientes ex his tutelam, & fortitudinem Ciuitatum, & communis ſalutis prodire.

Multas fæminas ſcriptura Diuina in lucem euexit (ait D. Ambroſius) palmam tamen publicæ ſalutis, ſolis Virginibus dedit.

In veteri Teſtamento, terra, ac mari clauſum populum Virgo per maria pedes perduxit. In Euangelio, Authorem mundi Virgo generauit.

DE PIIS CÆTIBVS, SEV SODALITATIBVS, ET CONFRATERNITATIBVS LAICORVM.

Diuinæ omnipotentiæ opus eſt, quod homines ſincero amore, & puro corde in vnum conueniant. Hinc vbi Omnipotens Dei ſermo deſcendens à regalibus ſedibus proſiliuit in terram, ſtatim vox Angelorum auditur.

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Quia ſcilicet pacis, & concordiæ ſeminatio non potuit, niſi cum Aduentu venire omnipotentis, & quia hoc vni Deo relinquitur magnificum facinus, quod diſſidentes plerumque homines in vnum coniungat.

Sunt itaquè Confratriæ, Diuini Spiritus receptacula, & Cæleſtis eloquentiæ gymnaſia.

Fra-

Fraternę sunt Caritatis tabernacula, ex quibus micant amoris lampades, ex quibus dilectus oritur ex dilecto.

Confratres igitur (si Deo placere cupiunt) & spiritualibus gaudere fructibus, ad quæ eorum diriguntur instituta.

In primis debent leges suas, & statuta à Nobis approbata seruare, nec ab ijs vllo modo deflectere.

Diuinum prætereà officium, diuinasq; laudes, aç preces iuxta ritum Romanum, congruo tempore, & assiduo studio persoluere.

Sanctum Eucharistiæ Sacramentum, abstersis antè per sanctam Confessionem animi sordibus, frequenter accipere.

Oblationes, & eleemosinas sedulo præstare, & custodire.

Et si in aliqua Ecclesia erectæ fuerint Cõfratrię, oblationes, & eleemosinas sub duabus clauibus asseruari curent, itaut vna clauis apud Parochum, alia apud Officialem, vel Massarium remaneat.

Pręterea non audeant stabilia, & mobilia pretiosa vllo modo distrahere.

Capellanos non audeant assumere, nisi à Nobis approbatos.

Officiales non rixa, & odio, non amore, & precibus, sed virtute, & meritis eligant, à Nobis postea quoque approbandos, iuxta decretum Sac. Congregationis Episcoporum,

Supplicationes suas nunquam sine præsentia Sacer-

dotis

dotis faciant, qui tamen ſine ſtola incedat, niſi fuerit etiam Parochus Confratrum.

Quoties ad ſolemnes conuocantur, curent ijsdem frequenter intereſſe, & qua decet pietate, & humilitate laudes Deo canere, & ſupplices preces Deo prębere.

Amictum, nec domi, nec alibi, quam in ſchola relinquant, & quocumque caſu recedant, apud Confratriam dimittant.

Eleemoſinas non quęritent abſque noſtra licentia, & acceptas in vſus pios diſtribuant.

In eorum Oratorijs, & Eccleſijs, feria quinta maioris hebdomadæ Sacramentum in ſepulchro non aſſeruent, neq; eadem die Sacrum celebrari permittant.

Adminiſtratores in libros rationum accepta, & expenſa omnia redigi curent, ſingulis menſibus à deputatis officialibus recognoſcendos, & à Nobis ex Decreto Sac. Conc. Trid. quoties viſum fuerit.

Deniq; Confratrię, quæ habent redditus Eccleſiaſticos, Seminario ſubſidium ex ijs annuum perſoluant.

DE TERTIARIIS:
Sororibus Societatis S. Vrſulæ, Et Pijs Domibus Puellarum.

QVamuis laudabile exiſtimemus mulieres Tertiarias, ſub habitu Religionis Sancti Franciſci, Sancti Dominici, ſeu alterius permiſſi Ordinis in hac Ciuitate, cęlibem vitam vel caſtam ducere.

Vo-

Volumus tamen, illas habitum non suscipere absquè expressa licentia nostra, & non ante annum ætatis suæ quadragesimum.

Deinde cúm primùm licuerit eas in communi vitam agere, nec alium viuendi modum, & formam tenere, quàm quæ à Lateranensi Concilio, & alijs Apostolicis Constitutionibus desideratur.

Interim quidèm prædictæ Mulieres è domo non exeant, nisi ex causis necessarijs, & tunc (quoad poterunt) associatæ.

Si vt ægrotis inseruiant, vel vt alia charitatis opera exerceant, Domos Laicorum adeant, non audeant ibidem vllo modo pernoctare.

Quo tempore vel occasione morbi alicuius, vel in Paschate Resurrectionis Sacrum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, de manibus Parochi, sub cuius Parochia habitant, illud recipiant.

Qui illarum negotijs temporalibus à Nobis in Visitatione deputati fuerunt, earumdem necessitatibus, sicuti in Domino expedire iudicauerint, consulant.

Insuper quoniam iuxta antiqua instituta Ecclesię in hac quoquè Ciuitate, sic Virginitatis cultus extollitur, vt vsquè ab anno 1584. plures mulieres sub tutela Sanctę Vrsulę extra Claustra Viduę quidem castam, Virgines ducant in carne pręter carnem cælestem potius quàm terrenam vitàm, illibatum Virginitatis florem custodiant.

Sicuti nos tale pium institutum magnopere commendamus, sic mulieres huiusmodi vitam eligentes

hortamur, vt posthabitis omnibus humanis commodis, & curis soli Deo placere studeant, cui soli sponsæ destinantur.

Regulas autem Societatis à Prędecessoribus nostris approbatas studiosè obseruent.

Et quoad Puellas, quæ in locis pijs educantur, illæ quotidie missæ Sacrificio intersint, manè, & vesperè, congruis horis orent in Choro.

Singulis mensibus, expiatis per Confessionem peccatis, sumant Sacræ Eucharistiæ Sacramentum.

Oneribus, & obligationibus suis spiritualibus satisfaciant.

Priores, seu Administratores earum necessitatibus temporalibus succurrant.

Libros reddituum, datorum, & acceptorum conficiant, credita, & legata exigi curent.

Bona stabilia, & mobilia pretiosa nullo modo alienari permittant.

Claustra diligenter custodiri faciant.

Non patiantur puellas otio vacare, aut nugis, & iocis, sed precibus primum, deinde suis artificijs, & ministerijs.

Deputati omnes, saltem quolibet mense conuenient, & sæpius, prout opus fuerit.

DE PVERORVM EDVCATIONE.

MItiores, & nimis indulgentes Parentes filios suos vanissima quadam libertate, & infelici perdunt

perdunt educatione, nescientes Puerorum ingenia, & præcipitis ætatis ceruices seueræ disciplinæ fræno ferroquè plerumq; cohibendas.

Hiusmodi vitium corrigere potest Præceptorum probitas, scientia, & custodia, sine quibus cæca sæpè apparet natura, improbus, & rudis animus.

Vt igitur ex præceptorum probitate, & scientia rectam educandi filios rationem firmemus. Decernimus, vt nullus in Diœcesi nostra educandi, edocendi, & custodiendi pueros curam suscipiat, nisi coram Vicario Generali fidei professione emissa, & cum illi constiterit de vitæ, & morum probitate.

Etsubinde à prædicto Vicario licentia obtenta quotannis renouetur.

Suscepto munere eum in Domino hortamur, vt verbis, & exemplo puerorum animos instruat ad pietatem in Deum, ad reuerentiam in Parentes, ad verum cultum omnium virtutum.

Non obliuiscatur obscœnitatem verborum prohibere, cum ad turpem loquendi licentiam, sequatur & turpe factum.

Vnde eleganter Diuus Hieronymus ad Demetriadem.

Nunquam verbum inhonestum audias, aut si audieris, irascaris. Perditę mentis homines vno frequenter, leuiquè sermone tentant claustra pudicitię.

Ab improborum etiam, & impudicorum hominum consuetudine multo diligentiùs eos auertat; nemo enim ignorat, quantum virium ad corrumpendos mo-

res habet, malorum contactus.

Semel saltem in hebdomada Christiana Doctrina suos erudiat.

Tanquam mundarum apium Curator impuritatem nesciat, ne ab illarum aculeis pungatur.

Parentes & ipsi valde contendant liberos non otio vacare, sed in mandatis Domini ambulare, pœnitentiæ lauacro sępissimè mundari, & Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento singulis saltem mensibus instaurari; non ludos sequi, & vanitates, sed bonis moribus, & Christianis pręceptis imbui, ad noua semper virtutum opera properantes.

Hæ sunt, quas parari, opes à Parentibus filijs Deus iubet, non pecuniarum thesauros, nec infarcitos auro argentoquè saccos, aut superbas, & præeminentes domos, non denique fundos interminabiles, & notitiam possessoris sui excedentes, qui consortes pati indignum æstimet, & vicinitatem iniuriam putet.

Deus illa parari filijs iussit, per quæ in æternum viuerent, non per quæ in æternitate morerentur.

DE MVLIERIBVS IN ECCLESIA DEGENTIBVS.

TAles optamus in Ecclesia se prębere Mulieres, quales instruxit Apostolus. Itaquè velato capite, & clauso pectore in Ecclesiam conueniant.

Induant armaturam pudoris, circumducant vallum

li m verecundiæ, murum sexui suo struant, qui nec suos emittat oculos, nec admittat alienos.

Soli Deo pateant, & placeant, à quo omnis gloria.

Quantum resoluti crines occupare possunt, tanta sit velaminis regio.

Ex earum etiam ore modestiæ, decorisq; specimina semper prodeant. Ex habitu simplex cultus, & honestus.

Omnes genuflexæ Sacris toto animo aduertant.

Meminerint tandem, quæ familiæ, & præsertim puellarum Nobilium curam habent, ne diutius, quam par, sit extra domum maneant.

DE DOMIBVS HOSPITALIBVS.

AMplissimam hanc Ciuitatem, nulli pietate secundam, in vniuersos pauperes liberalia semper contulisse subsidia comperimus, pluraquè pia loca, & nosocomia, diuersis morborum generibus accommodata erexisse.

Propterea nostri Pastoralis Officij iudicamus nonnullis legibus Synodalibus, præter eas, quas in nostris visitationibus iam præscripsimus, & imposterum præscribemus in Domino, talium locorum administrationem instruere. Inde primum præcipimus, vt qui valetudinaria huiusmodi obtinēt, vel administrant, ea omninò præstent, quorum causa illa sunt instituta, domos, ædificia, Ecclesiasquè iunctas sarciant, & restituant; rusticas ædes, & agros sæpius præsertim cir-

cumeant: bona deperdita vel occupata, aut perperam, & iniustè alienata recuperent. Omnia deniquè exequantur, quæ à Sacro Tridentino, ac Viennen. Concilijs præcepta fuere.

Nemini liceat bona huiusmodi Domorum immobilia, seu mobilia pretiosa vendere, permutare, in emphyteusim dare, seu quouis modo alienare, nisi seruatis, quæ statuta sunt à Sacris Canonibus, & cum Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate. Qui secus fecerit, arbitrio nostro punietur, & contractus rescindetur.

Mandamus propterea ex Sacri Concilij Tridentini auctoritate, vt Administratores rationem nobis singulis annis rerum administratarum reddant, à qua nullum Priuilegium, nulla consuetudo eos potest eximere. Volumus quoquè, vt rationes in codices rectè atquè ordine confectos referantur, quo certius, & clarius accepti, & expensi ratio subduci, & iniri valeat.

Hospitalium Priores, Massarij, Præfecti, quacumq; nuncupatione designati, deligantur fide, charitate, & industria perspicui, sacrilegij instar ducãt, vllam cum mendicis, qui quæstus causa, vel morbum, vel egestatem simulant, pactionem inire, & ob id domo hospitali illos recipere.

Curæ habeant, ne quid Peregrini, & Pauperes qui hospitio accipiuntur, aduersus Christianę pietatis rationem, bonosque mores admittant.

Non fæminas solum à Viris, sed pueros à maioribus natu separent.

Non

Non falsas, non ementitas personas subleuent, sed vera inopia, veraquè ægritudine pressis, sint subsidio.

Iners, & inutile, seu vagum hominum genus, hospitali pariter diuersorio excludatur (vera ægritudine cessante) Tales autem homines cum conualuerint, erunt admonendi, vt abiecto perditæ ignauiæ studio, alicuius artis exercitio, honestum sibi vitę comparent subsidium, in timore Domini.

Ius eleemosinas petendi pro sustentatione Nosocomij, piè exerceri permittimus; cui tamen petendi eleemosinas munus mandabitur, non sit alienus, sed ex ipsa Diœcesi, fama, & existimatione probatus.

Hoc ipsum munus gratis suscipiat, & pietatis studio, aut ea saltem mercede sit contentus, quę illi constituetur, reiecto omnino pacto de ipsarum eleemosinarum parte obtinenda.

Seminario nostro contribuere mandamus huiusmodi domos, quæ præter bona laicorum data in titulum, commendam, seu administrationem, habent etiam redditus ex beneficijs Ecclesiasticis annexis pro rata ipsorum.

DE MONTE PIETATIS.

CVm salutare hoc Montis Pietatis exercitium, insigni Dei pietate ad pauperum commodum, & ad Christi fideles ab ingentibus Hebræorum vsuris eximendos, erectum fuerit, Leonisque X. & Pauli III. Summorum (Glor. record.) Pontificum directum, &

con-

confirmatum: Nostræ superest prouidentiæ, de peculio, eleemosinis eiusdem Montis, rectaquè illius administratione iudicare, cum huiusmodi loca etiamsi ad Laicos pertinerent, & exemptionis priuilegio essent munita, ad Episcopalem ex Concilio Tridentino curam attineant.

Hæc eo maiori Nobis est oneri, quod in primæuo huius montis exordio, Episcopalis protectionis auspicium, & potestas, ac Domini Iudicis Sapientum fuit expostulata.

Itaquè vt muneri nostro ea, qua decet parte, respondeamus, opus est Nos ea hic memorare, quę in vniuersum Reipublicæ commodo, & digno huic Ministerio præcipuè prodesse existimamus, nam quibus specialis in dies animaduersio debetur, & Magistratus Ciuitatis, & optimorum Præsidentium studio, qui singulis mensibus huic de more pio officio incumbũt, & inde coram Nobis singulis mensibus congregantur, satis cautum esse putamus.

Qua propter Pauli V. S. M. Summi Pontificis Constitutionem ante oculos primum proponimus, qui pœnam excomunicationis ipso facto eum subire sancit, quicumquè pecunias, tàm pro sorte ab ipsa Montis erectione constitutas, quam pro dicto sortis augmento adactas in alios, quam in pauperum vsum absque Sedis Apostolicæ licentia conuertere, aut distrahere sub quouis prętextu, vel colore, etiam cũ obligatione, infra quodcumquè breue tempus restituendi, ausus fuerit, à qua nequit, nisi à Romano Pontifice absolui.

In

In mutuanda deinde ſub pignore pecunia, pauperioribus ſemper Sanctimonialium monaſterijs, pijſquè locis conſuli, & ſine mora ſubueniri mandamus.

In acceptanda pariter ad redditum pecunia, priorem locum pauperes, piaquè loca ſibi vindicare.

Amplius pignora, ſeu depoſita rerum pignorandarum ſint eius generis, quæ vēditionis exitum facilè inueniant, vt ſine damno Monti poſſit ſatisfieri. Res autem Sacræ nullo modo accipiantur abſquè licentia noſtra.

Exacto tempore reluendi, illicò, nullo cuiuſque reſpectu, ſub præconis voce, plus offerenti pignora diuendantur, & ſi quid ſupereſt, Domino pignoris ſoluatur, iuxta Decreta Congregationis eiuſdem Montis.

In gemmis, Lapillis, ac margaritis pignorandis, ſecuræ cautiones ſumantur, & eiuſdem Montis capitula, & Congregationis ordines ſtrictè ſeruentur.

Officiales omnes, decretis horis, ad ſuum accedant miniſterium, & requiſiti, prompto animo, de ſuis actis reddant rationem.

Pignorum libri rectè deſcribantur, pignora ipſa diligenter cuſtodiantur.

Singulis annis computus fiant generales datorum, & acceptorum eiuſdem Montis, illud præ cæteris cauendo, vt ſi quid forte lucri deductis impenſis Monti ſuperſit, in pauperum beneficium ſuccedat, quibus abſquè denarij ſtatuti reſponſione, etiam pro notabili ſumma, iuxta Summorum Pontificum Conſtitutiones, mutuari deſideramus.

Caueant summoperè Præsidentes, atquè etiam Officiales, ne gratiæ causa, plus pecuniæ cuiquam commodent, quam per legem Montis liceat, neue quibus non licet, veluti Aleatoribus, Meretricibus, & cæteris personis infamibus, vel etiam filijs familias, aut alijs suspectis hominibus, quod in malos vsus pecunias sint conuersuri, iuxta antiquissimas Montis ordinationes.

Commodo huius montis Hebræi quoquè omninò priuentur; Et quia quandoque Hebræi ad obtegendum factum in dandis pignoribus Monti Christianorum opera vtuntur, nec Christiani illam præstare erubescunt, ideo statuimus tàm ipsos Hebræos, talia committentes, quam Christianos grauissimis pœnis arbitrio nostro subiectos, & ne fraus aliqua fiat, Præsidentes, ac Officiales super huiusmodi excessibus valde inuigilare mandamus.

Opera pia, quę Pręsidentibus ex varijs causis iniunguntur, vel pro maritandis puellis, vel pro certis eleemosinis erogandis, vel pro Missis, & Diuinis Officijs celebrandis, sedulo, debitisquè temporibus pręstent, nec nō tabella omnium pręstandorum impressa, huius rei gratia, memoriæ causa, publicè in eodem Montis loco apponatur.

In cæteris tam Montis ordinationes, quam Decreta Congregationis lata, & ferenda, nostrarumquè Visitationum studiosè seruentur.

DE

DE CVRA MISERABILIVM PERSONARVM.

FEriunt perſæpe aures, & cor noſtrum miſerabilium voces, neque ſolum illorum gemitus, & clamores, qui palam ſtipem, & alimenta quæritant, ſed multò magis eorum, qui pudore, ac verecundia à mendicando deterrentur.

Bonus Paſtor vocat, & quærit Oues; Cuſtodis ratio præuenire debet, excitare magìs, quàm expectare quęſituros.

Vniuerſæ igitur Diœceſis Parochis diſtrictè præcipimus, vt prima die Nouembris, & Maij vniuſcuiuſque anni ſchedulam ſubſcriptam pauperum ſuorum, pupillorum, Orphanorum, Viduarumquè deferant; illud præ cęteris animaduertentes, ſi quę nubiles puellæ, ſi qui morbo incurabili affecti, ſi qui vinculis ſint mancipati.

Ipſi quoquè Parochi pro ſuis facultatibus pauperi ſubſidium ferre non negligant, vt ſuo exemplo ab alijs quoquè feratur.

Caueant autem, ne per culpam, aut errorem eos deſcribant, & indicent, qui verè auxilio non egeant, aut alios omittant, qui ſubſidium mereantur.

Duos probos viros, & totidem fæminas probatæ vitę ſecum in viſitatione aſſumant, vt vtriuſquè ſexus indigentibus tutius, & commodius conſuli poſſit.

Noſtræ etiam Diœceſis fideles hortamur, vt liben-

ter, & ipsi egenis subueniant, scientes Dominum Iesum Christum pro terrenis, ac vilibus opibus, æternis, ac pretiosis nos ditare voluisse, sic tamen, vt nonperirent humanæ diuitię, sed manerent, fieretquè nobis in pauperes pietas, thesaurus in Cælo, thesaurus in Terra.

DE IVDÆIS, ET IVDÆORVM CONSVETVDINE.

QVosdam non pudet effrictæ frontis Christianos, in eam vilitatem, sordisquè labem incidere, vt cum liberæ sint filij, familiaritate tamen, interdum etiam conuictu, cum ancillæ liberis impudenter iungantur, eius prorsus immemores, quod à Spiritu Sancto in Diuinis Scripturis imperatum est.

Eijce Ancillam, & filium eius, non enim hęres erit filius ancillę cum filio liberæ.

Quæ pars fidelis cum infideli? & quæ societas lucis ad tenebras?

Nos ergo, ne Christiani Nominis dignitas vilescat, neuè impura Iudæorum proles cum purissima Christi sobole indignè misceatur, eaque etiam vitentur scandala, quæ ab occulto, & in Christianam Religionem eorumdem Iudæorum hostili odio fluere solent. Decernimus, ac statuimus, vt nemini liceat, cuiuscumquè sit sexus, artis, conditionis, vel pręeminentiæ sub quouis prætextu, etiã ad breuissimum tempus, cibum cum Iudæis sumere, aut cum illis ludere, nec

minus Synagogas eorum intrare, vel Domos frequentare, nec famulatum, aut alia seruitia eis præstare, seu bona aliqua illis familiariter communicare, aut in suam domum eos recipere, vel deniquè medendi causa quempiam ex illis aduocare, sine expressa nostra, vel Vicarij Nostri Generalis, aut R. Patris Inquisitoris respectiuè licentia, sub pænis à Pontificijs Constitutionibus Nostris, & Sancti Officij Decretis inflictis.

Portent Iudæi solitum signum distinctæ sectę, etiam extra Ciuitatem, in Diœcesi Nostra, vbi moram traxerint.

Non prodeant in publicum triduo maioris hebdomadæ, dum silent Campanæ. Ostia claudant, & fenestras prospicientes domos Christianorum.

In festis Nostris quidquam seruile publicè non agant, nequè cum ijs contractus ineatur.

In Testes non recipiantur contra Christianos.

Ad MONASTERIA monialium, vel eorumdem atria nullo modo accedant.

Illorum Synagogæ procul sint à nostris Ecclesijs, nec nouæ erigantur, dirutæ non reędificentur.

Non vtantur in dictis Synagogis vmbellis, alijsquè ornamentis ritus Ecclesię, nequè habeant libros nuncupatos (Thalmud, MAGAZOR,) & alios eiusdem generis prohibitos.

Et quia Iudęi nullis Dei, & Ecclesiię beneficijs mansuefacti, quę illos fere cum filijs suis cohabitare humanissimè sustinet, rebusquè ad vitam necessarijs iu-

uare,

uare, & ad veritatis lumen allicere ſtudet, adhuc de ſuo priſtino odio, & ſcelere nihil remittentes, Dominum Ieſum Chriſtum in Cęlo triumphantem, ſuamquè Eccleſiam vbiquè oppugnare vellent, & in Chriſtianam Religionem horrenda facinora quotidie magis audere non deſinũt, ideo contra huiuſmodi criminum reos Nos quoquè meritò inuehentes, Conſtitutionum Apoſtolicarum tùm Gregorij Decimitertij, tùm Clementis Octaui S. M. & aliorum Summorum Pontificum pœnas eis infligemus, & maximè ſi aut deridere, aut peruerſo dogmate fidem Catholicam impugnare pręſumpſerint.

DE IVDÆORVM AD FIDEM CONVERSIONE.

Diuinę miſericordiæ opera in dies magis oſtendunt, ac patefaciunt, nolle Deum perire aliquem, ſed omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Ex hoc ſacro Diuinæ Clementiæ vbere peccatorum pænitentia profluit, & infidelium vbiquè terrarum oritur reſipiſcentia.

Vt autem Nobis facilior via adſtruatur ex Iudęis quoquè in Euangelio liberos procreandi, & per Sanctum poſtea Baptiſmi Sacramentum in Domini noſtri familiam adoptandi, vtquè muneri noſtro Paſtorali in his, quę ad eorum curandam ſalutem pertinent, quantum imbecillitati noſtræ licet reſpondeamus.

De-

Decernimus, vt ad tenorē, & formam Constitutionum Summorum Pontificum Nicolai iij. & Gregorij xiij. vir aliquis religiosus, siue Sæcularis, siue Regularis, morum honestate, doctrinæ experimento, & prouida circumspectione insignis Iudæos vtriusquè sexus salutaribus monitionibus erudiat, & quantum in Domino poterit, non contumeliosè, sed perhumaniter, non in duritie sermonis, sed in spiritu scripturarum, & lenitatis, à perfidis eorum sententijs diuellat.

Et quoniam (vt ait Apostolus) qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere debent, Volumus, vt Concionanti congrua eleemosina in singulos menses, de pecunijs ab vniuersitate hebræorum conferendis, præstetur, ad præscriptum Bullæ Gregorij xiij.

Conueniant autem Iudæi vtriusque sexus, semel saltem in singulos menses, die, & loco à Nobis deputatis, vel deputandis ad audiendam Concionem, ad tenorem eiusdem Constitutionis Gregorij xiij, & pariter Edicti nostri, quod alias promulgauimus, sacræ supremæ in Vrbe Sancti Officij Congregationi parentes.

Et ne sub inani bonorum amissionis timore à Christiana fide abhorreant, & pro fluxis, ac terrenis seruandis opibus, amittant æternas, intelligant primò Iudæi omnes, Deum quos elegit, & nutrire, iuxta illud Dauidis Regis.

Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit.

Sed nec ignorent, Paulum Tertium Glor. record.

Pon-

Pontificem plurima Neophytis priuilegia elargitum, tum quoad bona, tum quoad Iura Ciuitatum, in quibus eos Sacri Baptismatis vnda regenerari contigerit.

Cuius Constitutionis verba publicè, & Italico sermone ab eo, qui ad eos Concionem habebit, declarari mandamus, saltem bis singulis ānis, videlicet post Festum Paschatis Resurrectionis, & Mense Nouembri, ante primam Concionem.

Parochi, sub quorū Paræcijs Neophyti degent, sæpè erga illos sua exibeant officia; Nosquè tum de illorū moribus, & indigentijs, tum de eorumdem in Catholicæ Religionis doctrina progressu certiores reddant.

Ipsi Catechumeni non nisi bene de fide instructi baptizentur, & facto super hoc per plures menses periculo.

Deniquè caueant fide, & baptismo donati, ne quid Iudaicarum superstitionum retineant, neuè amplius cum Iudæis familiaritatem, aut consuetudinem habeant.

Baptizati Iudaismum odio prosequantur, nec amplius sequantur, aliàs post monitionem Canonicam, vt hæretici, puniantur.

Multò minùs nullo pacto sub grauissimis pœnis audeant Iudæi cum Catechumenis ipsis, & Neophytis consuetudinem habere.

Recenter baptizati curæ alicuius probi Viri saltem per annum tradantur, qui illorum vitam instruat ad Christianam pietatem, moresquè, & ritus Sanctæ Religionis nostræ.

Qui

Qui præſunt Catechumenis ſtudeant illorum bona recuperare, & maximè fæminarum dotes, iuxta præſcriptum Constitutionis Pauli Tertij ſummi Pontificis.

Demum recolant animo ad Euangelij lucem vocati illud Diui Pauli Apoſtoli ad Epheſios.

Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.

DE VSVRIS, ET FOENERATORIBVS.

NOxium auaritiæ germen, Vſura, licet ſæpius Apoſtolica falce ſucciſum, nouo tamen ſemper fœtu multiplicat; adeo vt nobis quoquè laborandum ſit, vt è Diœceſi noſtra (quantum à Deo dabitur) extirpetur.

Illud igitur in primis vniuerſim monemus, quod ſi quis mutuum quid dederit, aliquid plus, quam dederit ſperans, ſiuè illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiuè oleum, ſiuè quodlibet aliud; fœnerator eſt improbandus.

Cambia omnia, censūs omnes ijs legibus contrahantur, quas contra vſurariam prauitatem ſtatuit Summus Pontifex Pius V. ſuis peculiaribus Conſtitutionibus. Quilibet alij contractus, qui quouis modo fictè, ſeu ſimulatè concipiuntur, tanquam ab Eccleſia damnati, à noſtra Diœceſi remoueantur.

Societates, tàm animalium, quam aliarum rerum ſalua ſorte, quam capitale vocant, non contrahantur niſi ſeruata forma Conſtitutionis Sixti V. Incip. Deteſtabilis auaritiæ; pacta omnia, præter adiecta, omninò ſint irrita.

Nullus etiam pecuniam quærenti, animalia, frumentum, aut alias quasuis merces cariùs vẽdat, vt statim, seu modico interiecto tempore, ipse ab eodem per se, vel interpositam personam vilius emat.

Pacta omnia, quibus res exiguo pretio pignori datur ad tempus, quo elapso, si res redempta non sit, libera cedat pretium dãti, eiquè pro illomet pretio empta sit, prorsus damnamus.

Societatem, qua quis pecuniam, animalia, resquè alias confert, alter verò industriam, & operam, syncerè, & bona fide, & sub æquis conditionibus celebrare quisquè contendat, iuxta Iuris dispositionem, & constitutionem Sixti V.

Contractus, pacta, conuentiones, cæteraq; omnia, quæ vsuram, quouis modo sapiunt, adeo nulla, & irrita sint, vt ne iuramento quidem firmentur, & tam ipsi fænerantes, quam Notarij, Proxenetæ, lucri participes, & Ministri tanti criminis, pœnis, ac censuris à Sacris Canonibus, & Pontificijs Constitutionibus inflictis, etiam ex officio puniantur.

Et quoniam abusu quodam introductum in Diœcesi nostra comperimus, vt quandoquè ab indigente pecunijs res alteri vendatur, cum pacto tamen recuperandi ipsam rem venditam intra certum tempus, sic tamen vt venditor adhuc sub colore locationis in possessione remaneat, & ementi respondeat de conuenta pensione, non ad rationem eius, quod vere ex fundo colligitur, sed ad rationem eius, quod ex suis pecunijs interim affectat lucrari.

Nos, vt huic malo pro salute animarum, ea qua decet vigilantia occurramus, decernimus, & declaramus, vt quicumquè ea mente, & consilio sic, vt supra, contraxerit, vt animum non habeat emendi, sed mutuum potius pecuniarum, sub emptionis specie colorandi, & obtegendi, & ex eo fructus taxatos, seu conuentos percipiendi, illicitè transigere, imo in vsuræ labem turpius incidere, & cum homines forte decipere ambiat, tamen se ipsum potius perdere, nec Deum videntem omnia, & renes, ac corda scrutantem fallere.

Quod si quis emerit, animo verè emendi, & dominium in se trāsferendi, prout exterior cōtractus facies demonstrat, & interim pensiones à venditore exegerit, hunc iure facere, nec vsuræ peccato infici iudicamus.

Similiter, quia solent nonnulli pecunias ad mercimonium concedere cum fideiussione, ea lege quidem, vt eas præstare videantur ad dimidium lucri, & damni, non ignorantes tamen eum, qui pecunias accipit haud cum illis esse mercaturum, nec lucri, aut damni computum habiturum, sed in suos potius vsus conuersurum, recipientes nihilominus, iuxta stylum quemdam huius Ciuitatis, octo plerumquè pro centenario, & anno, ex prædictis pecunijs.

Huic quoquè scandalo pro animarum pariter salute consulentes, statuimus, & decernimus eum, qui non ignorans accipientem non fore cum suis pecunijs mercaturum, eidem nihilominus pecunias ad mercandum

concesserit, & inde octo pro centenario, & anno, vel aliud certum lucrum recipiat ab omni damno tutum, vsuræ crimine seipsum coinquinare, quasi ex mutuo lucrum expectantem.

Tùm autem negotiationem, seu Sociationem illam ad mercandum licite fieri, & exerceri quoties, qui pecuniam accipit, verè eam exercet, & iuxta damnum, vel lucrum eiusdem mercationis, lucrorum, vel damnorum partem alteri communicat.

Deniquè monemus contrahentes, vt peritos consulant Sacerdotes, aliosquè sapientes in timore Domini, ne, quod facilè fit, in vsurariam labem incidant.

Norint tandem Parochi, ac Confessarij, Vsurarios manifestos, nec viuos ad Ecclesiæ Sacramenta, nec vita functos ad Ecclesiasticam sepulturam esse admittendos, nisi prius realiter, aut tuto facto deposito satisfecerint, aut saltem pro viribus cautionem dederint restituendi, & eos qui sepulturæ Ecclesiasticæ ipsos tradiderit, excommunicationis sententiæ ipso facto subiacere.

Quoniam verò fucatis coloribus, vsuraria pestis plerumquè proserpit, ijdem Confessarij cæteriquè, quibus cura imminet animarum, sedulo caueant, ne in pænitentium sibi subditorum contractibus sub census, locationis, societatis, aut aliquo quouis honesto nomine, Vsurarum venenum lateat, & ita se gerant, vt de Diœcesis nostræ foro vsuram defecisse verè dici possit.

Quod si fœnerari quis voluerit, fœneretur Domino;

Do-

Domino autem fœneratur, qui miſeretur pauperis: Felix certe vſura, vbi paululum quid danti pauperibus centuplum à Domino retribuitur. Vſura quippe mundi, centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum, idemquè ipſe fit, & Executor, & Debitor.

DE NOTARIIS, ET CANCELLARIIS CVRIÆ EPISCOPALIS.

NOtarius Epiſcopalis Taxationes à Prædeceſſoribus noſtris confectas, à Nobis approbatas, vſuquè confirmatas omninò teneat, & obſeruet.

Quòd ſi caſus accidant, quorum in taxatione prædicta ratio habita non fuerit, tunc ſi cauſa ciuilis ſit, ea percipiat emolumenta, quæ ſtatuta Ciuitatis concedunt.

Sin verò cauſa fuerit criminalis, ſeruet formam Aldobrandinæ Cōſtitutionis, donec aliud peculiari conſtitutione fori Epiſcopalis à Nobis ſanciatur.

Quæ pecuniæ impoſterum ob cauſas occurrentium delictorum exigentur, apud Depoſitarium à Nobis eligendum reponantur.

Clerici porrò omnes, & Eccleſiaſticæ perſonæ, quæ noſtrę Iuriſdictioni ſubſunt, & quę apud forum noſtrum iudicia, ſeu cauſas, tàm Ciuiles, quàm Criminales agere conſueuerunt, quique iuxta Sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Tridentini leges, noſtrum Tribunal petere tenentur, ad aliud iudicium, & forum minime confugiant, ſub pœnis à ſacro Concilio impoſi-

tis,

tis, & iuxta alias Prędeceſſorum noſtrorum Synodales Conſtitutiones.

Notarius, & Cancellarius pro tempore eligendi, & eorum ſubſtituti, ſub Officij initium iurent ad formam pręſcriptam.

Et quatenus nunc exercentes munus non iurauerint; Volumus eos ad iurandum teneri coram Vicario noſtro Generali.

DE TRANSGRESSORIBVS SYNODI ET PÆNIS SANCITIS.

HVius noſtrę Synodi Decreta ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectant, obſeruanda mandamus, quippe quæ ex Sacris Canonibus, & Vniuerſalibus Concilijs, & Tridentino maximè, ac Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & Sacrarum Congregationum Sanctionibus hauſta ſunt.

Tranſgreſſores, & Inobedientes obnoxios declaramus pænis, quæ à Iure Pontificio. & prædictis omnibus Conſtitutionibus irrogantur, & quæ à nobis, vt ſupra, expreſsè feruntur.

Quas vero arbitrio noſtro reſeruauimus, pro rerum ipſarum vſu, & opportunitate declarabimus.

Et ſi forte de ijſdem decretis noſtris aliqua ſuboriretur ambiguitas, tota eius rei interpretatio ad nos ſpectabit.

Hæc ipſa Decreta, omni qua poſſumus reuerentia, Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ auctoritati, & cēſurę ſaacri, demiſſo, ac obſequentiſſimo animo ſubijcimus.

FINIS.



ECTÆ, & publicatæ fuerunt suprascripta Constitutiones, & decreta, alta, & intelligibili voce, de mandato Eminentissimi & Reuerendissimi D. Cardinalis Episcopi suprascripti, in secunda sessione partim, partim vero in tertia, habitis in Cathedrali Ecclesia Ferrariensi, Generali Diœcesana Synodo congregata, in medio eiusdem Ecclesiæ, & in loco ad id parato, vigore edicti aliàs pro Synodo facienda, & celebranda publicati, coram ipso Eminentissimo, & Reuerndissimo D. D. Laurentio Tituli SS. Ioannis, & Pauli S. R. E. Presbytero Card. Magalotto, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Ecclesiæ prædictæ Episcopo, præsentibus, adstantibus, audientibus, & intelligentibus Per Illustribus, & Admodum RR. DD. Archipresbytero, Præposito, Archidiacono, Primicerio, Thesaurario, Decano, & Canonicis Cathedralis, Vicarijs foraneis, Plebanis, Viceplebanis, Parochialiumq; & aliarum sine cura Ecclesiarum Rectoribus, Capellanis, Altaristis, & alijs tam Ciuitatis, quam Diœcesis Clericis, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi Millesimo, sexcentesimo trigesimo Septimo Indictione quinta, die verò decima octaua mensis Iunij, quæ fuit Octaua solemnitatis Sanctissimi Corporis eiusdem Domini Nostri, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Vrbani Diuina prouidentia P.P. VIII. anno XV. Præsentibus ibidem RR. DD. Pellegrino Chesio Mutinen. Diœcesis, Carolo Masino, Lucio Riuerio Ferrarien. & Marco Pocciante Clericis. & alijs multis testibus ad prædicta specialiter

liter adhibitis, vocatis, & rogatis.

Et ne aliquis miretur in præsenti volumine plurimas reperiri cassationes, additiones, & correctiones, sciendum est, illas omnes manu propria vigilantissimi Præsulis, qui in similibus vix sibimet plenè satisfaciebat, pre nimio zelo gloriæ Dei, & salutis animarum sibi commissarum, ante Decretorum publicationem fuisse conscriptas, & folia quæcumque in eodẽ volumine colligata, esse ea ipsa Originalia, quæ, vt præmissum est, lecta, & publicata, subindeque mihi Cancellario infrascripto sic attestanti fideliter consignata fuere: In quorum fidem.

Ego Ioannes Baptista Bardellius q. Francisci Clericus Argentanus Rauennaten. Diœcesis Notarius publicus Ferrarien., & Curiæ Episcopalis Ferrariæ Cancellarius, & Archiuista, de prædictis rogatus hic me subscripsi &c.

Locus ✠ Signi

LAVS DEO.